

De syntaxi Propertiana

scripsit

A u g u s t u s W a g n e r.

Programm

der

K. Studienanstalt Passau



für das Schuljahr 1887/88.

9pa
8 (1888)



Quamquam Hertzbergius, vir doctissimus, de elocutione Properti copiosissime disseruit, alii autem recentiores, ut Heymannus et Kuttnerus, de flexionibus et peculiari singulorum verborum usu Propertiano uberius disputaverunt, tamen haud pauca, quae et ad rectam elegiarum interpretationem et ad genus dicendi huius poetae accuratius cognoscendum conferre possint, adhuc desiderari ratus ea quae magis ad syntaxin quam ad formas et ad sermonem ornandum pertinent ita componere ausus sum, ut auxilio disputationum, quae de sermone aliorum illius aetatis poetarum scriptae sunt, syntacticum — ut ita dicam — usum Propertianum cum aequalium et posteriorum compararem et praecipue in ea, quae Properti propria sunt, accuratius inquirerem.

Qua in re ordinem et rationem libri a Draegero summa diligentia elaborati, qui inserbitur, „historische Syntax der lateinischen Sprache“, in universum secutus sum.

In laudandis locis numeris usus sum editionis L. Muelleri, praeterea in elaboranda disputatione adhibui in primis Lachmanni, Hertzbergi, Baehrensi editiones.

De numerorum usu.

Cum non solum poetas, sed etiam prosae orationis scriptores, qui aurea, quam dicimus, aetate floruerant, numerum singularem nominum populorum, animalium, plantarum pro plurali numero adhibuisse minime ignoremus, eandem consuetudinem etiam in Properti elegiis nobis occurrere multis exemplis in lucem prolatis supervacaneum arbitror demonstrare. (cfr. Draeg. hist. S. I. p. 4) Sed licet mihi hoc loco occasione data paucis disputare de v. V, 6, 72:

„Blanditiaeque fluant per mea colla rosae“.

Baehrensius Scaligerum secutus scripsit „blanditiae“, quae lectio ab elegantia Properti, quem metonymia saepissime uti multis ostendit exemplis Hertzbergius (I. p. 149), nimis recedit. Singularem autem „rosae“ non offendere ex hisce apparet locis: I, 17, 22 „molliter et tenera poneret ossa rosa“; cfr. IV, 2, 36; 4, 22; V, 2, 40; „flos“ pro „flores“ IV, 9, 16; V, 3, 57; „vitem“ III, 12, 12; cfr. etiam Catull. 61, 93 „flos hyacinthinus“; 62, 40 „flos ignotus pecori“.

Videmus igitur ne L. Muellerum quidem habuisse, cur interpunctionem poneret post „blanditiae“.

Multo frequentior quam singularis Propertio est usus numeri pluralis praecipue nominum, quae materialia dicere solemus. E permultis, quae repperi exemplis eligo ea, quae magis Propertio quam aliis illius aetatis poetis propria sunt velut: „trita venena“ III, 9, 14; 19, 11, ubi poetam non solum metri causa, sed ut diversa et mixta veneni genera exprimeret, pluralem numerum singulari praetulisse e participio „trita“ concludere licet. — „pabula“ V, 8, 7: „terrac“ I, 22, 10 (pro „agri“); „terrīs“ IV, 21, 22, ubi de Isthmo solo agitur. — Praeter „sub terris“ (= apud inferos) III, 11, 5, quem versum Draegerus (I. p. 5) attulit, legitur semel apud Propertium „in terris“ pro „apud homines“ II, 2, 3.

V, 7, 37 invenimus „salivas“, cuius idecirco mentionem facio, quod Draegerus (hist. S. I. p. 6) hoc substantivum solum apud Lucretium et Columellam in plurali numero positum esse falso adnotavit.

Porro legimus „ignes“ pro „solis calor“ IV, 20, 3; pro „amore“ I, 6, 7; 11, 7; IV, 16, 9; „taedae“ I, 8, 21; et „faces“ II, 7, 8; I, 13, 26 notione „amor“.

Non alienum esse puto de versu II, 7, 719:

„Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces“

explanatius agere. Quamquam enim codex Neapolitanus, quo in crisi Propertiana imprimis nitimur, exhibit „more“, quod Baehrensius recepit, tamen lectionem codd. DV. (Dauentr. et Ottobonianio-Vatic.) „amore“ plurimos editores iure comprobasse mihi persuasum habeo. Nam cum versibus antecedentibus clare perspectis dubium non sit, quin poeta dicere voluerit, se malle mori quam altera in matrimonium ducta puellam suam perdere“, ego non intellego, quomodo „more“ explicari possit.

Primum enim non de „more“, sed de „lege“ agi plane appetet, deinde vocabulum „nuptiae“, quod, quin lectione „more“ retenta ex „faces“ dependeat, vix dubitari potest a poeta pro „amica“ scriptum esse neque ipsius Properti neque aliorum poetarum exemplo probatur. Unde sequi opinor scripturam „more“ fulciri non posse, sed alteram „amore“ praefferendam esse, cum praesertim aptissima atque facillima sit intellectu. Dependente enim genetivo „nuptiae“ ex „amore“ sententia haec est: „Citius paterer mori quam nuptiis perdere faces i. e. amorem amicæ. „Faces“ autem hac notione usurpari plane elucet ex exemplis supra enumeratis; cfr. Hor. od. III, 9, 13; Ov. ep. XIII, 160; II, 3; III, 20; Stat. Achill. I, 637.

Cum numerum pluralem vocabulorum, quae membra corporis unius personæ significant, ut „collum,¹⁾ os, coma, capillus, pectus, sinus“ etiam apud alios poetas saepe reperiri sciamus (cfr. Draeg. I. p. 7), pauca atque rariora exempla e Properti elegiis affero:

„Crura“ (sanavit erura Philoctetae) II, 1, 59; „rostra“ V, 1, 96 „ante rostra aquilæ sua“; „cutes“ V, 5, 64; „guttura columbae“, V, 5, 66; „frontes“ III, 15, 9.

Deinde cum longum sit multos enumerare locos huc pertinentes, in universum adnoto Propertium saepissime nomina concreta supellectilem²⁾, res sacras³⁾, loca⁴⁾ significantia in plurali numero adhibuisse.

¹⁾ Catullus de una loquens persona semper singulari numero substantivorum „collum, capillus, os, pectus“ utitur.

²⁾ „aratra“ I, 4, 3; pocula II, 1, 51; sceptræ V, 6, 58; plausta IV, 4, 35; iuga II, 1, 76; IV, 5, 1; esseda II, 1, 76; foci II, 1, 29; 54; 62; III, 12, 4 multisque aliis locis,

Porro plurima substantiva abstracta⁵⁾ imprimis ea, quae animi affectus exprimunt,⁶⁾ in plurali numero posita sunt.

Priusquam ad casum usum tractandum transeo, paucis de vocabulo „funus“ disseram, quod varia significatione a Propertio usurpatum est.

Kuttnerus enim, qui (de Prop. elocut. quaest. p. 33 sq.) omnibus locis, quibus „funus“ sensu vulgari „pro efferendo mortuo“ accipiendum est, singularem legi numerum affirmavit, vehementer errat; nam II, 1, 56. „Ex hac ducentur funera nostra domo“ pluralement numerum huius vocabuli non pro abstracto „mors“ positum esse, sed pro concreto „mortuus“ ex ipsa sententia eluet. Aequo ac substantivum „funus“ etiam vocabulum „fatum“ et in singulari et in plurali numero variis adhibetur notionibus; significat enim modo „fortunam“, modo „mortem“, modo nihil aliud nisi hominem ipsum (cfr. Kuttner p. 30 sq.).

Denique etiam illud moneo, numeri pluralis et singularis primae personae permutationem Propertio tam frequentem esse, ut persaepe in uno eodemque enuntiato aut circuitu utraque utatur forma (cfr. Hertzberg I., p. 121).

Iam aggredior ad ea, quae de casum usurpatione Propertiana dicenda sunt.

De casuum usu.

De accusativo.

In accusativi usum, Propertianum inquirens primum de accusativo graeco qui dicitur disseram, quem apud priscos scriptores

⁵⁾ „arae“ II, 2, 7; IV, 16, 1; V, 6, 7; sacra (pro „templum“) V, 1, 3; fana V, 9, 34.

⁶⁾ „Limina“ I, 5, 13; 16, 3; II, 6, 37; 7, 9; V, 4, 2; 8, 84; 9, 27; 54; litora I, 2, 13; 11, 28; 20, 22; II, 1, 30; III, 6, 4; 28, 20; 32, 61; IV, 6, 21; 21, 23; V, 6, 15; orae I, 20, 15; 21; aequora I, 15, 10; III, 8, 38; IV, 6, 57; 14, 31; 21, 11; „alias Illyrias“ III, 8, 10; „Illyricis terris“ III, 8, 10; regna II, 1, 23; 9, 49; III, 26, 8; 8, 28; IV, 18, 22; V, 1, 10; 10, 27; 7, 6; 50; 6, 78.

⁷⁾ „fata“ vicies bis (bis „fatum“ III, 24, 3; 25, 5); „unde vicus nomen a Tuseus habet“ V, 2, 20.

⁸⁾ „amores, laetitia, fastus, fletus, invidiae, metus, calores, gaudia, taedia“ et apud priscos et apud aureae aetatis scriptores latinos inveniuntur, unde non opus esse arbitror in haec substantiva abstracta accuratius inquirere. (Cfr. Draeg. I, p. 11 sqq.) „furiis“ (= amoribus) V, 4, 68.

Romanos raro esse usurpatum (Draeg. I. p. 362), postea autem praecipue e Vergili carminibus in poetarum aequalium atque posteriorum sermonem irrepsisse, quin etiam in scriptorum solutae orationis opera velut Livi, Vellei, Suetoni, Taciti aliorumque inductum esse constat (cfr. Draeg. Über Synt. u. Stil d. Tacit. p. 18).

Qua in re tractanda imprimis cavendum est, ne omnes accusativos participiis perfecti passivi assertos ex imitatione quadam usus graeci ortos ducamus.

Nam cum desit linguae latinae participium perfecti activi, non est mirum poetas participium perfecti passivi vi mediali — ut ita dicam — usurpasse et cum accusativo iunxisse (cfr. Schroeter „der Accus. nach passiv. Verben in d. lat. Dichterspr.“ Glogau 1870. p. 6).

Quamquam Schaefflerus (die sogen. syntakt. Graecismen bei den august. Dichtern 1884, p. 10 sqq.) fere omnia exempla adhuc pertinentia e Propertio enumeravit, tamen, ut rem compleam, ea hoc loco repeto aliorumque illius aetatis poetarum locos, qui ad hunc usum comparandum et illustrandum conferre possunt, adiungo.

Mediali vi adhibita sunt haec participia: II, 2, 8 „pectus operta“; III, 11, 2, externo tineta nitore caput (cfr. III, 11 10); addo IV, 16, 29 „candida laxatis onerato colla corymbis“, quod Draeg. et Schaeffler omiserunt; IV, 12, 11 „matrona incedit census induita nepotum“; III, 7, 42 „pressi membra“; V, 9, 52 „puniceo canas stamine vineta comas“; III, 5, 11 „nudum pectus lacerata“; III, 8, 24 „candida tam foedo brachia fusa viro“; IV, 11, 28 „alternas scissa Charrybdis aquas“ (Verg. A. 11, 478) I, 3, 34 „in molli fixa toro cubitum“ (Verg. A. 11, 507 „oculos fixus“) cfr. I, 3, 8 „nixa caput“; III, 27, 10 „nixa pedem“, quibus locis vis medialis plane appetat.

Exempla graeci usus nobis praebent haec participia: I, 3, 11 „nondum sensus deperditus omnes; V, 9, 15 „pulsus tempora“ (cfr. Luer. I, 13; 261; V, 1223); IV, 24, 14 „vinctus eram versas in mea terga manus“. — Errat Draegerus (I, p. 364), qui verba „vinciri“ ab Horatio solo et Vergilio cum accusativo iungi commemorat; addo e Catullo 64, 65 „vineta papillas“. cfr. etiam Schaeffler p. 22.

Accusativum determinationis cum adiectivo iunctum, qui apud Lueretium nondum invenitur, a Vergilio autem et Ovidio saepissime est adhibitus (Draeg. I. p. 370) et apud scriptores argenteae, quae dicitur, aetatis imprimis apud Tacitum increbuit (Draeg. Über Synt. und Stil d. Tacit p. 16), a poetis e graeca lingua in latinam inductum esse veri simillimum est.

Properti carmina huius accusativi haec tria praebent exempla II, 8, 22 „saucius latus“; II, 5, 28 „Cynthia forma potens, Cynthia verba levis“; III, 19, 35 „precor ut me demissis plangas pectora nuda comis“.

Tibullus, qui saepissime usus est hac structura, semel (I, 6, 49 „saucia pectus“) accusativum cum adiectivo construxit.

Transeo ad accusativum, qui dicitur verbalis vel obiecti interni. Quo cum poetae atque scriptores omnium temporum usi sint (Draeg. I, p. 386; Biese „De obiecto interno ap. Plaut. et Terent“. Kiel 1878), non opus esse existimo e Propertio multa afferre exempla, sed de locis nonnullis, qui hac pertinent, paucis disseram.

Primum enim annotandum esse puto sententiam Hertzbergi, qui (in comment. p. 368) ad. v. IV, 21, 1 „magnum iter ad doctas proficisci Athenas“ „magnum iter“ appositionis loco omni enuntiato praefixum esse explicat, esse perversam. Nam „iter“ nihil aliud esse nisi obiectum internum, quod in Properti elegiis saepe invenitur, ex hisce appareret locis : I, 1, 18 „notas ire vias“; I, 2, 12 „indociles currere vias“; IV, 21, 24 „scandam ego Theseae brachia longa viae“ (pro „scandam viam secundum brachia longa) multisque aliis.

Deinde mihi disputandum est de v. II, 7, 11 sq : „A mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos tibia, funesta tristior illa tuba“. (codd. DVN.) Baehrensius (musc. crit. p. 85) ita coniecit:

„Carmina tum qualis caneret sub tibia somnos“. Argumenta, quibus hanc opinionem suam confirmat B., non sufficiunt. Dicit enim: „v. v. 7—10 recte accipiunt de pompa nuptiali, qua tempore vestertino coniuges ad mariti domum deducebantur. Tum autem quomodo Properti tibia Cynthiae somnos canere potuit? Immo intellegendus est ille tibiae cantus, quo pompa comites coniuges in cubicule praecedentes prosequabantur. Itaque „mea“ sua sponte corruptelam prodit.“

Sed „mea“ lectionem corruptam esse nego. Neque enim dubium esse existimo, quin „mea tibia“ nil aliud significet nisi tibiam, quae mihi a comitibus pompa meae nuptialis canitur i. e. cantus, qui in me canitur, ita ut mea licentius pro genetivo obiectivo possum esse videatur : quam licentiam non inauditam esse ex hoc colligatur Properti exemplo :

V, 8, 67 „nostris lassavit brachia plagis“, ubi „nostris plagis“ pro „plagis nobis inflictis“ scriptum esse satis appetat; cfr. etiam

Hertz. Qu. Prop. I. p. 146 et Vergil. A. II, 784 „lacrimas dilectae Creusae“ (= Thränen um Creusa).

Deinde locutio „somnos canere“ Baehrenso „suspectissima est a latinitate“. Immo vero locutionem „somnos canere“ notione „canendo somnum efficere“ — id quod nostra lingua verbis „ein Schlummerlied singen“ interpretamur — explicari posse atque defendi e versu V, 9, 13: „furem sonuere iuvenci“ (= sonando furem prodiderunt) facile intellegitur; cfr. etiam II, 3, 24 „sternuit omen amor“; V, 1, 134 „verba touare“ (Draeg. I. p. 387); III, 9, 1 „mentiri noctem“; II, 1, 39 sq. „Phlegraeos tumultus intonet Callimachus“; addo alia rari accusativi verbalis exempla: IV, 2, 3 sq. „reges tuos . . hiscere posse“; III, 32, 25 „seros insanit amores“.

Quantum igitur coniectura „carmina“, quam Baehrensius Ovidii loco (her. XII, 139 sq. „tibiaque effundit socialia carmina vobis, at mihi funerea flebilia tuba) frustra — ut opinor — confirmare studuit, aut altera „a, mala“ pro „a mea“, quam in editionem suam recepit, non solum ab usu Properti distet, sed etiam a palaeographica ratione abhorreat, neminem fugit.

Hoc loco mihi non praetereundum est, Propertium saepe neutra non solum pronominum, sed etiam adiectivorum verbis intransitivis et passivis addidisse, quem usum apud priscos scriptores perrarum fuisse, inde autem a Lucreti temporibus magis magisque increbuisse scimus. (cfr. Draeg. hist. Synt. I. p. 387 sq.).

Exemplis, quae Draegerus (p. 388 sq.) e Lucretio, Catullo, Vergilio, Horatio attulit, adiungo e Propertio haec: I, 5, 30 „mutua flere“ (Luer. II, 76 „mutua vivunt“; III, 801 „mutua fungi“; IV, 947, 325; V, 1100; cfr. Holtze, Synt. Luer. lin. p. 34). — I, 8, 22 „vera queror“.

Cum verba intransitiva affectuum „queri, tremere, flere“ aliaque a plurimis et vinctae et solutae orationis scriptoribus aureae, quae dicitur, aetatis transitive usurpata sint (cfr. Draeg. h. Synt. I. p. 360 sq.), hunc usum etiam in Properti carminibus nobis occurrere non miramur (cfr. I, 7, 8; 9, 10; II, 4, 11; IV, 20, 30; 35, 4. V, 7, 6; 11, 9 etc.).

Sed duo repperi locos, qui hue pertinent, mentione satis dignos; legimus enim I, 16, 24 „me dolet aura“, quod Draegerus (I. p. 356) „me dolore afficit“ explicat; sed non recte eum intellexisse censeo; nam hic „dolet“ idem significare, quod „me miseratur“ ex

versu sq. 25 plane apparere rectissime iudicavit Hertzbergius (com. in Prop. p. 61).

Alter locus, cuius Draegerus mentionem non fecit, est: I, 13, 23 „flagrans amor Herculis Heben“, ubi accusativus „Heben“ e verbo intransitivo „flagrare“ aptus est.

Quamquam huius constructionis testimonium e nullo potui haurire alio poeta, tamen non ausim cum Marklando inniso versu II, 3, 33 „Hac ego non mirer si flagret nostra iuventus“ legere „caelesti Hebe“, praesertim quod omnes codices hic inter se consentiunt et simile verbum „ardere“, quod cum ablativo construi solet, eadem notione amandi a Vergilio (ecl. II, 1 „formonsum ardebat Alexim) et Horatio (od. IV, 9, 13) cum accusativo iunctum esse videmus (cfr. Draeg. I. p. 361).

Restat, ut nonnulla exempla accusativi loci commemorem, quo imprimis Vergilius saepe usus est (Draeg I. p. 395); sunt haec: III, 8, 10 „alias navigat Illyrias“, III, 12, 22 „comminus ire sues“; efr. Ov. fast. 5,176 „Audet et hirsutas comminus ire feras“ (cfr. Zingerle „Ovid u. sein Verhältnis zu den Vorgängern I, p. 73).

De dativi usu.

Quamquam viri docti, quorum opera in tractandis singulis dativi generibus maximo mihi fuerunt commodo, de dativi usu poetis elegiacis proprio scripserunt, tamen hanc rem quasi actam non putavi mihi esse praetereundam.

Priusquam autem ad rem accedo, annoto, quo ordine de singulis dativi generibus disserendum videatur. Primum enim disputabo de dativo post verba motum ad locum significantia posito et de dativo e verbis certandi apto; deinde de dativo graeco, qui dicitur, et finali.

Verba movendi, e quibus dependet dativus in hos distribuo quattuor ordines:

- I. verba simplicia intransitiva;
- II. verba composita intransitiva;
- III. verba simplicia transitiva;
- IV. verba composita transitiva.

Non vereor omnia exempla ad I pertinentia hic afferre, quod Propertius horum verborum structura ab aequalium poetarum more recedit.

I, 15, 8 „novo ire viro“ (cfr. Schröter „der Dativ zur Bezeichnung der Richtung in der lat. Dichterspr. Progr. Sagan 1873 p. 3). I, 20, 32 „ibat Hamadryasin“; (cfr. Schröter p. 7 et p. 14, ubi affert e Verg. A. I, 725 „it strepitus tectis“; IV, 451 „it clamor caelo“ et ex Sil. Ital. XV, 327 „ire sorori“). A Catullo, Tibullo, Ovidio, Horatio verbum „ire“ cum praepositionibus construitur.

I, 11, 25 „veniam amicis“; IV, 3, 5 „Ausoniis veniet provincia virgis“; V, 11, 102 „eius honoratis ossa vehantur avis“; IV, 3, 5 „mihi venit epistola“ (cfr. Ov. Pont. IV, 6, 1, „tibi venit epistola“; I, 9, 33 „mihi venturum se iurare“); III, 12, 28 „venturum me tibi“; 29, 1; I, 9, 1; IV, 21, 19 „Lechaeo vectus“. —

His duobus locis: III, 32, 7 „in hospitium Menelao venit adulter“ et I, 14, 11 „mihi veniunt sub tecta“ praeter substantivum e praepositione aptum, quo locus indicatur, etiam dativum personae invenimus, qui finem, quo spectat motus, significare videtur.

Sed haec constructio alio modo facilius explicari potest. Saepissime enim a Propertio genetivus subiectivus substantivi aut pronominis cum dativo commutatur. Cfr. I, 1, 7; 8, 14; 19, 3; II, 5, 21; 5, 23; 9, 39; III, 27, 37; 10; IV, 4, 3; 22, 31.

Apud Catullum bis inveni verbum „venire“ cum dativo iunetum 68, 63 sq. „nautis aura venit“ et 61, 116 „veniunt hero gaudia“; sed hos dativos magis commodi quam loci esse satis est dilucidum. Apud Tibullum I, 3, 65; 9, 43; 10, 67; II, 1, 81 (cfr. Streifinger p. 15).

Hic occasione data paucis disseram de v. I, 15, 29:

„Muta prius vasto labentur flumina ponto“.

In hoc versu, quem Draegerus (I. p. 427) attulit, „ponto“ non dativum loci, sed ablativum esse censeo. Codices exhibent „multa“ sed recentiores editores omnes praeter Baehrensius, qui praeeunte Passeratio „nulla“ scripsit (cfr. misc. crit. p. 77), Mureti coniecturam „muta“ in verborum contextum receperunt.

Quid significet „muta“ difficile est intellectu; sed etiam emendatio „nulla“ ingenio poetae vix probari videtur. Nam cum e v. sq. 30 „annus et inversas duxerit ante vices“, tum ex Ovidi locis similibus (Trist. I, 7; Her. V, 29) plane elucet, sententiam esse hanc: „Prius retro labentur flumina ponto etc.“ — Quomodo igitur sanari poterit versus? Id quod suadet Burmannus: „Alta prius retro labentur etc.“ placet, sed a palaeographica ratione non est veri simile. Equidem quamquam non habeo, quo innitar, ausim

legere: „Mota prius vasto labentur flumina ponto“ et explicare: Mota (a) ponto fl. labentur i. e. a ponto relabentur.

Iam accedo ad verba composita intransitiva, quorum, cum hanc rem C. Schneemannus (de verbis, cum praepos. compos. ap. Cat., Tib., Prop. structura) accuratissime exposuerit, ea enumerabo, quae Propertius saepius quam Catullus et Tibullus cum dativo nudo copulat; sunt autem haec: „accumbere, concubere, concurrere, invigilare, incubere, insultare (cfr. Schneem. p. 51 sqq.), subire (Schneem. p. 41).

„Incidere“, quod a Catullo et Propertio cum dativo, a Tibullo cum praepositione „in“ et acc. construitur, et „incubare“ inde a Lucreti temporibus cum dativo iunguntur. (cfr. Holtze. Synt. Luer. lin. p. 44; Luer. VI, 1178 „lymphis putralibus inciderunt“; 351; 1143).

Praeterii verba „obstrepere“ et „occurrere“, quae etiam apud scriptores pedestris orationis aureae, quae dicuntur, aetatis tertium casum assumunt (cfr. Draeg. hist. Synt. p. 418).

Deinde verborum simplicium transitivorum, quibus exprimitur appropinquatio quaedam, a Propertio cum dativo construuntur haec:

„iungere, nectere, miscere, ferre“. IV, 21, 13 „iungite lintea malo“; IV, 8, 33. Errat Draegerus (I. p. 426) dicens, Vergilium primum verbum „iungere“ in forma activa cum nudo dativo construxisse; nam hoc verbum invenitur apud Lucretium saepissime cum dativo copulatum velut I, 413; III, 800; IV, 430 (cfr. Holtze Synt. Luer. lin. p. 44), unde hanc structuram e Lucreti opere in posteriorum poetarum carmina irrepsisse statuere licet.

Catullus passivas tantum formas verbi „iungere“ cum dativo copulat, id quod etiam apud Ciceronem reperitur (Draeg. I. p. 426). IV, 4, 12 „armis necimus arma“; (cfr. Hor. ep. I, 19, 31; II, 2, 96; Ov. Pont. IV, 2, 30).

I, 20, 38 „lilia mixta papaveribus“; (cfr. Cat. 64, 95; 68, 18; Tib. II, 1, 46; Luer. III, 234).

In Ovidi, Vergili, Horati carminibus hanc constructionem saepissime inveni.

Dativi localis e verbo „ferre“ apti exempla in Properti elegiis haec duo indagavi:

III, 12, 13 „feres in culto tura sacello“ et V, 3, 71 „armaque cum tulero portae votiva Capenae“.

Addo e Catullo 62, 20 „caelo fertur“, e Tibullo II, 6, 31 „dona feram sepulero“ (cfr. Streifinger p. 15), e Vergilio A. XI,

594 „arma feram tumulo“. Ovidius modo „ad“ cum acc. modo dativo utitur (cfr. Pont. II, 2, 121; IV, 8, 29; II, 9, 28; 10, 40; III, 1, 162).

Transitiva denique verba, quae cum praepositionibus „ad, ex, cum, de, in, ob, sub“ composita sunt, paucis existimo absolvi posse. Nam omnes fere illius aetatis auctores his verbis praeter accusativum saepissime obiectum, quod est in dativo, adiungere solent (Draeg. I. p. 419 sq.).

Cum igitur supervacaneum putem omnia enumerare verba, quae Schneemannus in ordinem digesta accurate exposuit, pauca tractanda elegi.

Incipio a verbo „adferre“. Ad hoc verbum dicit Schneemannus (p. 21): „adferre bis cum praepos. construitur 1) „in“ IV, 6, 60; 2) „ad“ V, 6, 31 „non ille attulerat . . . ad carmen“. Miror, quod non dubitavit coniecturam L. Muelleri „ad“ pro „aut“, quod omnes exhibent libri manuscripti, sine ulla haesitatione accipere et laudare. Quamquam enim Muellerum subtilissimo ingenio conieciisse „ad“ nemo negabit, tamen nos nulla re cogi, ut scripturam mutemus, concedendum est.

„advehere“ IV, 6, 63 „regionibus“ advehat aestus“. Baehrensius cod. F. secutus scripsit „evehat“; sed scripura „advehat“, quam cod. N exhibet, aptior videtur, quod magis appropinquatio ad litora quam electio e maris fluctibus designatur.

„conferre“ (I, 4, 9; II, 3, 25; III, 19, 33; 24, 9; IV, 24, 7; V, 11, 89). Ad I, 5, 7 „non est illa vagis similis collata puellis“ annotat Schneemannus: „non discernam, utrum dativus ad adiectivum, „similis“ an ad participium „collata“ sit referendus“.

II, 9, 12 „Adpositum flavis in Simoenta vadis“.

Schneemannus (p. 22) dicit: „verbum. apponere“ Prop. uno loco simul cum dativo et cum praepositione „in“ coniungit“ et affert Hertzberg II p. 116: „est praegrans praepositionis vis, qua motionis via et finis breviter et cum evidentia indicatur. Ita adpositum corpus flumini puta, ut versus undas porrectum fortasse etiam ex parte in undas pertineret“.

Sed supervacanea est haec explicatio; multo enim veri similius est, „flavis vadis“ non ex „appositum“ dependere, sed aut ablativum loci esse aut ablativum instrumenti aptum ex „lavit“, verborum autem collocatio non offendit, quod Propertius saepe adiectivum aut participium a substantivo suo uno vel compluribus seiu-

git vocabulis (cfr. I, 3, 44, querebar externo longas saepe in amore moras).

In fine huius partis disputationis meae de dativo commemoro Propertium verba simplicia „pugnare“ et „certare“ cum dativo nudo construxisse (I, 10, 21; II, 3, 11; V, 6, 3).

Apud Lucretium haec structura, quam non graecam, sed poetarum Romanorum propriam putandam esse Schaeferus (p. 45 sq.) rectissime monuit, semel III, 7 (quid contendat hirundo eyenis) invenitur, Catullus autem, quem primum verbum „pugnare“ cum dativo copulasse (62, 64) dicit Draegerus (I. p. 406), semel utitur etiam praepositione „cum“ (62, 59).

Frequentior est hic usus Vergilio et Horatio, cum Ovidio plane aliena sit. (cfr. Draeg. I. p. 406). Verbum „luctari“, quod ab Horatio et Silio Italico (cfr. Draeg. ib.) cum nudo dativo iungitur, a Propertio cum praepositione „cum“ copulatur (cfr. III, 7, 5). Restat, ut afferam verbum „contendere“, quod Propertius semel cum praepositione (III, 19, 7 „contendet tecum“) et bis cum nudo dativo usurpavit (I, 7, 3; 14, 7).

Transeo ad dativum, qui dieitur graecus.

Hunc dativum, qui, cum pro ablativo cum praepositione „ab“ ponit videatur, rectius appellatur dativus auctoris, non e graeco in latinum sermonem receptum esse ex eo facile intellegitur, quod inde ab initiis litterarum Romanarum gerundivum cum dativo copulari solet (cfr. Tillmann acta sem. Erlang. II. p. 73). Quamquam Tillmannus (p. 97, 109, 111) hanc rem accuratissime exposuit, tamen omnia, quae inveni, exempla affero, quod paullulum discrepat numerus locorum.

Octies legitur dativus cum simplici, vicies cum composita verbi forma aut cum participio perfecti passivi iunctus: dicitur illi I, 8, 31; dicuntur tibi I, 7, 1; scribuntur mihi II, 1, 1; solvatur tibi I, 8, 11; conteritur mihi I, 7, 9; cui conteritur III, 17, 15; elevor tibi III, 32, 58; aratur mihi IV, 4, 5, ubi dativus magis commodi quam auctoris est; eredita mihi I, 15, 34; es mihi cognita I, 11, 17; natis est cognitus error IV, 14, 35; decerpta Palatia tauris IV, 8, 49; ancora iacta mihi est IV, 24, 16; Icare iugulate colonis III, 31, 29; mihi empta III, 13, 25; petita mihi aqua est III, 17, 2; mihi quaesitae boves V, 9, 18; tibi quaesitus, IV, 28, 8; reiecta viris V, 9, 26: cui parma relata V, 10, 40 (hunc locum Tillmannus non attulit); sumpta deo IV, 6, 62; mihi suscepta II,

9, 25; omnia sunt temptata mihi IV, 25, 5; contempta tibi templa III, 24, 11; oscula sibi (= a se) debita I, 9, 17; relicta viro III, 19, 30.

Huc non pertinere existimo haec duo exempla, quae perhibet Tillmannus (p. 97); IV, 7 40 „offensa mihi“ et IV, 14, 3 „mihi“ velatus“. Nam si v. IV, 7, 40: „Offensa illa mihi, non tibi amica, dedit“ legimus, „offensa“ magis adiectivi quam participii passivi vim habere ex vocabulo opposito „amica“ sequitur cfr. Ov. Pont. I, 10, 42 „Caesaris offensum dum mihi nomen erit“, ubi „offensum“ nil alias nisi „iratum“ significare e toto elucet enuntiato.

Deinde legimus IV, 14, 3: „Ut mihi praetextae pudor est velatus amictu“.

Hanc scripturam, quam Lachmannus retinere studuit, falsam esse, ex eo satis appetat, quod toga praetexta neminem indutum fuisse nisi magistratus curules et pueros constat.

Poeta autem — ni fallor — dicere voluit: „Ut togam sumpsi i. e. togam virilem“. Accedit, quod cod. Neapol. non solum praetexti, sed etiam „amicus“ exhibet pro „amictus“, quod quin leve librarii cuiusdam mendum sit, nemo dubitabit. Unde Guyetus cum lectionem „velatus“ retineri non posse bene perspexisset, coniecit simplicissima mutatione „elatus“, quae conjectura exemplis ab Hertzbergio (II. p. 332) e Livio allatis fulcitur. Addo e Cie. Tuse. IV, 29, 62 „malum, quod natura efferat“, unde verbum „efferre“ etiam notione „tollere, removere“ adhiberi sequitur. Versu autem sic restituto: „Ut mihi praetexti pudor est elatus amictus“ „mihi“ non dativum auctoris esse existimo.

Si dativos auctoris inter se conferimus, plurima reperimus pronomina, nomina substantiva perpauca.

Pronomina personalia inveni XVIII, relativa II (Tillmannus I), demonstrat. I, reflex. I, nomina substantiva V (Tillmannus IV).

Praetermisso dativo commodi vel incommodi, quem in litteris omnium temporum videmus (cfr. Draeg. I. p. 431 sq.), commemoro singularem dativum sensu finali usurpatum IV, 12, 36: „altaque nativo creverat herba toro“ pro „alta herba erat toro“ i. e. creverat in torum. (cfr. Lucret. VI, 771, multa cibo quae sunt).

De genetivi usu.

Ad genetivum quod attinet, in universum dio Propertium non multum ab usu ceterorum poetarum discrepare.

Peculiaris genetivi usus exempla nobis praebet v. I, 11, 20 „culpa timoris erit“ et v. III, 24, 5 „sed non tam ardoris culpa est“, ubi genetivos casus vocabulorum „timoris“ et „ardoris“, quae subiecta esse debebant, e substantivo „culpa“, quod vim praedicativam habet, videmus aptos esse.

Licentiorem genetivi obiectivi usum, cum apud omnes et vincetae et prosae orationis scriptores saepe occurrat et ab Hertzbergio (I. p. 139) tractatus sit, praetermitto et, priusquam ad ablativum transeo, id commemoro genetivi genus, quod „genetivum appositivum“ dicimus (cfr. Kuehner lat. Gr. II. §. 83, 4).

Exempla nobis praebent hi loci: III, 1, 26 „Permessi flumine“; IV, 10, 51 „flumina Nili“; V, 5, 57 „munera vestis“.

Accedo ad ablativi usum perlustrandum.

De ablative usu.

Ablative usurpationem si examinamus, in primis Propertius nudum ablativum, ut locum non solum apertum, sed etiam clausum significaret, saepe adhibuit.

Hunc usum, qui raro iam apud Ennium (ann. 465 „it nigrum campis agmen“), saepius autem apud Lucretium reperitur et etiam apud Tibullum (cfr. Streifinger, de synt. Tib. p. 20), Vergilium, Horatium et apud scriptores argenteae, quae dicitur, aetatis inventur (Draeg. hist. Synt. I. p. 520 sq.), a Propertio maxime exultum esse, neminem fugit, qui eius elegias perlegit.

Cum autem nudus ablativus¹⁾, si locus apertus designatur, saepissime etiam apud alios illius aetatis poetas, quin etiam apud scriptores pedestris orationis legatur, ea tantum enumerabo exempla, e quibus nudum ablativum ad indicandum locum clausum usurpatum esse appareat; sunt haec: II, 4, 10 „Amythaonio domo“; 6, 28; III, 3, 17; 3, 16; 8, 20; 8, 22; 19, 8; 17, 10; IV, 9, 31; 6, 49; post verbum „ponere“: I, 17, 22; II, 9, 45; III, 2, 2; V, 10, 28. (cfr. Holtze synt. Luer. lin. p. 9). — Interdum Propertius locis, ubi ablativum sine praepositione positum exspectamus, praepositionem „in“ adhibuit, ut: III, 22, 2 „tota in urbe“; 30, 24 „in tota urbe“; 27, 37 „in toto corpore“; IV, 14, 40 „in multis locis“.

¹⁾ Nudum ablativum loci fere quinquages positum inveni.

Maiore etiam licentia Propertius ablativum posuit, ubi praespositio „in“ idem quod „ad“ vel „prope“ significaret, ut: I, 3, 22; 7, 23; 14, 1; III, 5, 39; 22, 37; I, 15, 10; 17, 23; in v. III, 8, 3 „non potuit saxo vitam posuisse Cerauno“, „saxo“ utrum ablativus loci an instrumentalis sit, dubitari potest.

De ablativis „via“ (III, 23, 2; IV, 5, 36;) et „tramite“ (IV, 12, 44; 15, 26), quos non tam ablativos loci quam comitatus esse apparent, non disseram, quod etiam apud aureae, quae dicitur, aetatis scriptores reperiuntur. (cfr. Draeg. hist. Synt. I. p. 522).

Transeo igitur ad ablativum instrumentalem, qui post verba „sedendi, iacendi“ similiaque saepissime pro ablativo cum praespositione „in“ positus est. (Cfr. Kuehnast Liv. Synt. p. 174; Draeg. h. S. I. p. 525); V, 11, 86 „sederit toro“; 8, 21 „sedens primo temone“ (contra Cat. 52, 2 „sedet in sella“); I, 3, 2; 11, 2; IV, 17, 13; IV, 2, 8 „vecta tropaea rate“; (contra IV, 1, 11 „in curru vectantur amores“); IV, 6, 53; III, 21, 6; V, 7, 59; I, 8, 33; deinde II, 3, 12 „puro lacte natant folia“; I, 17, 12 „tuo tenere sinu“; V, 11, 64; III, 21, 8.

De ablativis loci dicit Hertzbergius (I. p. 135): „Hinc (i. e. ex hoc ablativi usu) orta est ratio laxior, qua neminem saepius Propertio usum esse cognovi, non illa cum ablativo absoluto temere confundenda, quamvis huius quoque originem eandem esse concedam. Cuius generis audacissimum est IV, 22, 13: „Qua ruditis Argoa natat inter saxa columba (pinus)“.

Miror, quod Hertzbergius e licentiore ablativi usu tales ablativos quales „Argoa columba“ originem cepisse dixit; nihil enim commune mihi videntur habere. Evidem „Argoa columba“ ablativum instrumenti esse censeo.

Hic de nonnullis locis, quos Hertzbergius (I. p. 136) hue refert, disputabo. Eodem enim modo, quo ablativum „Argoa columba“, explicat etiam IV, 16, 21 (Hertz. III, 17, 21) „Aetnaeo fulmine partus“; sed errare mihi videtur; nam „Aetnaeo fulmine“ ablativum modi esse ex hisce locis eluet, qui similem praebent usum IV, 16, 35 „vertice turrigero iuxta dea magna Cybebe tundet etc.“; II, 1, 76 „essedata caelatis siste Britannia iugis“; 2, 10 „medio mero“; III, 28, 38 „medius docta cuspide Bacchus erit“ pro „cum cuspide“. Deinde legimus I, 21, 3 „quid nostro gemitu turgentia lumina torques?“

Ablativum „nostro gemitu“ Hertzbergius (I. p. 136 et III. p. 77) absolutum esse putavit, sed non recte eum iudicasse existimo; nam ex antecedente versu „qui properas evadere casum“ sequi censeo hanc esse sententiam: „Quid properas et detorques oculos a me gemente?“ Verbum enim simplex „torquere“ cum nudo ablativo iunctum non offendere colligas ex hisce similibus locis IV, 21, 2; III, 21, 19 multisque aliis, quos infra in tractando ablativo disjunctionis enumerabo. „Nostro gemitu“ autem per metonymiam pro „me gemente“ usurpatum esse demonstratur exemplis velut: I, 3, 46 „Illa fuit lacrimis ultima cura meis“ (= mihi lacrimanti); I, 20, 15 „error Herculis“ (= „Hercules errans“); V, 6, 72; I, 2, 31 multisque aliis.

Restat, ut ad hunc versum annotem, Lachmannum et Muellerum codicem Groninganum secutos „qui“ pro „quid“ recepisse et mutata insuper interpunctione ita legere: „Miles, ab Etruscis saucius aggeribus qui nostro gemitu turgentia lumina torques etc.“ Sed quominus sic construas, prohibet consuetudo Properti, quem pronomen relativum in quintum removisse enuntiati locum non inveni. Interpretor igitur, ut omnia paucis complectar: „Miles, qui saucius ab Etruscis aggeribus, properas evadere casum, cur detorques oculos a me gemente?“

Peculiarem ablativi instrumentalis usum praebent ei loci, ubi subiectum, quod exspectamus, in ablativum instrumentalem, genitivus autem generis ab illo pendens in subiecti casu ponitur: I, 14, 22 „quid relevant variis serica textilibus“ pro „quid relevant varia textilia serieorum?“ IV, 4, 5 „mihi mille iugis Campania pinguis aratur“ pro „mille iuga Campaniae arantur.“

Similis est illa dicendi ratio, qua ablativus instrumentalis pro genitivo generis ponitur: III, 5, 7 „desit odoriferis ordo mihi lanicibus;“ cfr. III, 5, 3; 10, 13; I, 4, 13.

Porro non practereundum est ablativum instrumenti bis occurtere, ubi fit aliquid a personis: I, 13, 13 „haec ego non rumore malo, non augure doctus“; hic „augure“ sine praepositione „ab“ metri causa positum esse appareat; minus offendimus in v. IV, 22, 11 „tuo propellas remige“. (Cfr. Draeg. h. S. I. p. 547 sq. et Kühner lat. Gr. II. §. 80. A. 9.).

Transeo ad ablativum disjunctionis, quem, cum Schneemannus accurate de verborum compositorum structura disseruerit, paucis absolvam.

Verbis compositis, quae Schneemannus enumeravit¹⁾, nonnulla addam, quae ille omisit; sunt autem haec: 1) „dividere“; I, 12, 3 „Tum multa illa meo divisa est milia lecto“; 2) „decutere“ IV, 12, 27 „decussa Cydonia ramo“ („ramo“ Schneem. dativum esse putat; sed comparata structura verborum „detrahere, avellere“ nemo dubitat, quin ablativus sit). 3) „dimittere“ III, 26, 13 „Tu quoniam es magno dimissa periclo“. 4) „surgere“ III, 15, 31 „lecto cum surgeret Hector“. 5) „sevehi“ IV, 2, 21 „Cur tua praescripto sevecta est pagina gyro“. 6) „redire“ II, 3, 22 „terris redit“, Verbum „discedere“ non solum II, 7, 7, sed etiam V, 11, 35 „tuo sic discessura cubili“ occurrit.

Deinde verborum simplicium Propertius cum nudo ablativo iunxit haec:

mittere²⁾, petere³⁾, tollere⁴⁾, pellere⁵⁾, solvere⁶⁾, levare⁷⁾, fugare⁸⁾, cessare⁹⁾, cadere¹⁰⁾, venire¹¹⁾, pendere¹²⁾.

Praeter singulares duos ablativos pretii (III, 22, 29 „amplexu persolvit votum“; V, 9, 57 „Magno Tiresias aspexit Pallada“¹³⁾) etiam nonnullos locos commemoro, ubi pro praepositione „per“ cum accusativo ablativum temporis legimus: I, 1, 7 „toto anno“; 6, 7 „totis noctibus“; cfr. II, 9, 19; III, 6, 28; 8, 6; 15, 24.

¹⁾ abesse, abigere, abire, avellere, abscedere, deicere, demittere, descendere, desilire, detrahere, edere, egredi, extollere, prodire, discedere, dissidere.

²⁾ III, 21, 19 „me mittere saxo“; 31, 3 (Cat. 17, 23; contra Tib. ter „mittere“ cum nudo ablativo iungit, Streif. p. 21);

³⁾ III, 17, 2 „aqua lacu petita“; cfr. Cat. 66, 83 „petitis iura cubili“;

⁴⁾ III, 28, 9 sq. „tollere nunquam te patietur humo“;

⁵⁾ V, 7, 97 „pelle hederam tumulo“;

⁶⁾ I, 8, 11 „Tyrrhena solvatur funis arena“;

⁷⁾ IV, 1, 9 „me fama levat terra“;

⁸⁾ IV, 2, 11 „Hannibalemque Lares Romana sede fugantes“;

⁹⁾ IV, 12, 47 „cessant sacraria lucis“;

¹⁰⁾ III, 30, 14 „flumina sopito Marone cadunt“;

¹¹⁾ V, 7, 87 „piis venientia portis“ pro „ex portis“;

¹²⁾ IV, 2, 28 „pendebant tympana pumicibus“; 5, 13, „vestem pendere lacertis“; 11, 22; 18, 26; V, 1, 15; 3, 17; 7, 17. Draeg. (I. p. 501 sqq.) e poetis exempla hic pertinentia non attulit.

¹³⁾ Passerati coniectura „Magno“ pro „Magnam“, quod exhibent codd. quin recta sit, vix dubitari potest.

Hunc ablativum temporis, quem apud auctores aureae, quae dicitur, aetatis perraro inveniri, postea autem increbuisse Draegerus docet (I. p. 534), Catullus omnino videtur evitasse; cfr. 23, 20 „toto in anno“; 68, 83 „noctibus in longis“.

De adiectivorum usu.

Quamquam apud omnes fere scriptores adiectiva et participia non solum in pluralis, sed etiam in singularis casibus, substantivorum munere fungi constat (cfr. Draeg. I. p. 47 sq; Kuehner lat. Gr. II, § 62), tamen paucis explanabo, quantum discrepet Propertius a Catulli et Tibulli usurpatione.

Atque primum mihi annotandum est, praeter „rivalis“ (I, 8, 45) nec adiectivum nec participium in nominativo singularis numeri pro substantivo usurpatum esse, cum Tibullus quinques primo casu singularis usus sit (cfr. Streifinger synt. Tib. p. 21¹).

In casibus obliquis sing. num. reperiuntur adiectiva: III, 32, 4 „formosam“; I, 16, 14 „supplicis“ (Cat. 60, 4); 22, 8 „miseri“; 18, 25 „superbae“; III, 26, 15 „divae“ pro „deae“; IV, 9, 3 „natalis signum“ sc. dici (cfr. Kuehner lat. Gr. II. § 62, 5);

participia: I, 16, 47 „amantis“; I, 8, 41; III, 17, 22 „amanti“; I, 20, 3 „imprudenti amanti (cum adiectivo attributivo); cfr. Cat. 70, 3 „cupido amanti“; III, 9, 1 „amantem“; 9 „amante“ (Cat. 72, 7).

Tibullus „amantis“ I, 8, 1 et „amanti“ I, 5, 57 usus est (cfr. Streifinger de synt. Tib. p. 21.²)

In pluralis numeri casibus leguntur haec adiectiva: „formosas“ III, 15, 20; „formosarum“ III, 26, 3; „formosis“ III, 8, 26; „natis“ II, 9, 17; „natos“ II, 7, 3; deinde „geminos“ III, 15, 42; „ingenuis“ III, 18, 4; „nobilibus“ III, 19, 33; „beatos“ III, 22, 5; „beatis“ III, 19, 33; „concordes“ III, 32, 6.

Participium „amantes“ (nom. et acc.), quod a Catullo 61, 47

¹) Apud Catullum non memini adiectivum pro substantivo in nominativo sing. num. positum me reperire.

²) De Lucret., Verg., Hor., Ovidio, qui omnes participio „amans“ ut substantivo usi sunt, cfr. Draeg. I. p. 48.

et a Tibullo I, 4, 77 loco substantivi adhibetur, Propertius fere sexies decies pro substantivo usurpavit.¹⁾

Saepius aliis poetis Propertius nomina appellativa more adiectivorum cum substantivis iunxit.

Quamquam apud omnium temporum scriptores ea substantiva, quae aut genus aut naturam alicuius rei aut ordinem significant velut „homo, femina, senex, anus, servus etc.“, in primis autem ea, quae in „tor“ aut „trix“ exeunt, adiectivorum vicibus funguntur (cfr. Draeg. h. S. I. p. 668; Kuehner lat. Gr. II, § 61, 2), tamen hunc usum a Propertio magis quam a prioribus et aequalibus ex cultum esse videmus praecipue ex hisce locis: III, 29, 4 „femina turba“ pro „turba feminarum“; substantivum, quod in genitivo generis esse debebat, adiectivi instar cum nomine collectivo copulatum apud alios poetas non repperi; deinde V, 3, 64 „carbasa lina“; IV, 13, 20 „fratres deos“; III, 32, 74 „agricolae domini“;²⁾ III, 30, 6 „via anus“.³⁾

Addo alia exempla minus mira: III, 32, 28 „victor equus“ (cfr. Verg. „bellator equus“ G. 2, 145; A. 10, 891; 11, 89; Ov. met. 15, 368; fast. 2, 12; „taurus arator“ fast. 1, 698); IV, 2, 9 „victrices moras“; V, 1, 139 „victrices palmas“ (cfr. Hor. ep. I, 3, 25 „hederae victricis“); V, 1, 115 „ultores ignes“.

Deinde animadvertisimus Propertium permultis locis adiectivum praedicativum adverbio praetulisse. Quae consuetudo, quam e cotidianae vitae sermone in vinctam orationem irrepsisse e poetarum comicorum fabulis elucet (cfr. Pick „de vi atque usu adiectivi

¹⁾ I, 2, 23; 10, 15; 16, 45; 18, 7; II, 5, 13; 7, 3; III, 3, 3; 8, 47; 22, 33; 31, 5; 43; IV, 2, 47; 13, 21; 16, 5, 11.

²⁾ Apud Lucr. (cfr. Holtze synt. Lucr. lin. p. 1) reperiuntur: „pater aether“ et „mater terra“. Alia exempla velut „rerum natura creatrix“ non hue pertinent, quod — ut ex genitivo apparet — veram perhibent appositionem. Apud Cat. indagavi: 9, 4 „anum matrem“; 68, 46 „charta anus“. — Apud Tibullum ter „agricola“ pro adiectivo usurpatum (Streif. p. 22). semel „victrix“ (cfr. Ehrlich de eloc. Tib. quaest. p. 20). — Scriptorum pedestris orationis, qui illa aetate florebant, in primis Cornelius Nepos huius usus multa praebet exempla velut „victor exercitus“, „frater tyrannus“ etc. cfr. Lupus der Sprachgebrauch des Corn. Nep. p. 9.

Tacitus (Draeg. über Synt. und Stil. des Tac. p. 30) raro nomen appellativum pro adiectivo posuit.

³⁾ Menteliani emendationem, quam Lachmannus unice veram esse dicit secutus sum.

praedicativi apud aevi Augustei poetas latinos p. 11 sqq.), postea in poetarum epicorum et lyricorum carminibus studio litterarum graecarum increbuit (cfr. Kuehner lat. Gr. II, § 63). Exempla, quae hue pertinent, exponam; atque primum enumerabo verba „eundi“ similiaque, quibuscum Propertius adiectivum pro adverbio iungit: I, 14, 3 sq. „celeres currere lintres . . . tardas funibus ire rates“; III, 29, 1 „veniam tardior“; IV, 4, 28 „menstrua luna reddit“; III, 1, 9 „gravior procedere“; I, 15, 4; III, 12, 22 aliisque locis.

Notio „eundi“ paene extincta est ex his praedicatis: I, 4, 10 „Inferior duro iudici turpis eat“; 18, 14 „non ita saeva tamen venerit ira mea“; 11, 25 „seu tristis veniam, seu contra laetus amicis“; cfr. II, 1, 32; 7, 16; 4, 48; III, 32, 81; 17, 13; 32, 45; IV, 11, 19.

Alia verba, quibuscum adiectivum praedicativum pro adverbio conexum inveni, sunt haec: ludo (III, 20, 27), pasco (V, 3, 22), vivo (I, 16, 12¹⁾).

Transeo ad adverbium pro adiectivo attributivo usurpatum, quod apud Propertium saepius invenitur, quam apud ceteros poetas elegiacos.

Apud Catullum enim nullum investigavi exemplum hue pertinens, Tibullus autem semel (II, 5, 53 „concubitus tuos furtim“) adverbium adiectivi attributivi instar posuit.

Draegerus, qui poetarum elegiacorum in illa libri sui parte (I. p. 181) mentionem non fecit, affert e Vergilio A. 1, 198 („ignari sumus ante malorum“ = *τῶν ποιὸν κακῶν*) et I, 13 sq. („Carthago Italiam contra Tiberinaque longe ostia“); sed hoc alterum exemplum non hue referri potest; nam adverbium longe ad contra pertinere e toto loco plane eluet. (cfr. etiam Weidner Comment. zu Verg. Aen. p. 70).

E Properti carminibus collegi: I, 16, 47 sq. „sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis fletibus alterna differor invidia“ (= sempiternis fletibus); I, 22, 2 „nostra semper amicitia“: III, 26, 15 „redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae“.

Addo duos locos, ubi substantiva cum praepositionibus graeco more attributive — ut ita dicam — usurpata esse ex ipsa verborum collocatione dilucidum est: II, 6, 10 „tener in cunis et sine voce puer“ et I, 3, 44 „querebar longas in externo amore moras.“

Hunc usum, qui apud poetas comicos saepius, perraro apud

¹⁾ „Qualis“ pro „ut“ legimus III, 21, 5; 32, 37; IV, 13, 13; 16, 40.

aureae, quae vocatur, aetatis scriptores invenitur, posterioribus in primis Livio et Tacito adamatum fuisse scimus. (cfr. Draeg. Synt. u. Stil d. Tac. p. 7).

Ad numeralia denique quod attinet, nil aliud habeo quod dicam nisi illud, Propertium quinque locis, e quibus unum (IV, 22, 16) Draegerus (I, p. 107) attulit, pro numero cardinali numerum distributivum usurpasse. cfr. II, 1, 22; III, 8, 23; IV, 22, 16; V, 8, 80; V, 10, 26.¹⁾

Huic usui, quem Catullus sprevit, Tibullus (cfr. Streifinger p. 23) bis praebet, Vergilius autem et Ovidius nimis amaverunt, poetae, e quorum carminibus haec consuetudo etiam in litteras argenteae, quae appellatur, aetatis se insinuavit (cfr. Draeg. I. p. 108), fortasse metri causa faverunt.²⁾

De pronominum usu.

Cum Propertius usurpatione pronominum ab aliis poetis minime discrepet, ea, quae de pronominibus mihi dicenda sunt, paucis absolvere possum.

Propertium, sive ut personas significantius proferat, sive ut versum facilius fingat, verbis saepe nominativos pronominum personalium addere (Kuttner „de Prop. elocut. quaest. p. 47), exemplis allatis demonstrare superfluum iudico, praesertim cum haec consuetudo fere omnibus communis sit.

Deinde anno annoto saepe pronomen demonstrativum „ille“ vel „hic“ insertum esse, quamquam subiectum superioris vel antecedentis membra sententiae in altero facile intellegitur velut: I, 9, 24; 15, 9 sq; III, 23, 11 sq; V, 2, 45 (cfr. Kuehner lat. Gr. II, § 118, 10; Draeg. hist. Synt. I. p. 83).

Bis a Propertio pronomina „hic“ et „ille“ ita commutantur, ut „hic“ ad personam remotiorem — ut ita dicam — „ille“ ad personam propiorem referatur. Cfr. II, 1, 37 sq: „Theseus infernis, superis testatur Achilles, Hic Ixionidem „ille“ Menoetiaden“;

IV, 13, 17 sq. „Qualis et Eurotae Pollux et Castor harenis, hic victor pugnis, ille futurus equis.“

Eadem pronominum „hic“ et „ille“ commutatio est apud Catullum 100, 1 sqq.

¹⁾ „iugera terra“ Scaligeri conjectura, quae quin recta sit, nemo dubitat.

²⁾ Cfr. Verg. A. 5, 85 „septem ingens gyros, septena volumina traxit“.

Denique commemoro pronomen „quisquam“ semel cum substantivo coniunctum, id quod aurea, quam vocant, aetate rarum est; V, 7, 13 „nec cuiquam melior sperande puellae“ (cfr. Draeg. I. p. 99).

Iam nos convertamus ad verbum, de quo explanatus mihi disserendum erit.

De verbo.

Hanc disputationis meae partem ita instituo, ut primum in temporum, deinde in modorum usum inquiram et, quantum Propertius differat ab aliis suae aetatis poetis, ostendam.

Ac primum de infinitivo perfecti pro infinitivo praesentis posito exponam.

Qua sermonis latini proprietate quamquam et priscos scriptores et poetas aureae aetatis saepe usos esse non ignoramus, tamen non supervacaneum iudico copiosius de hac re disputare et hunc infinitivum perfecti nonnunquam metri causa — id quod negat Draegerus (hist. Synt. I. p. 256) — adhibitum esse exemplis allatis probare.

Catullus raro infinitivum perfecti pro infinitivo praesentis posuisse mihi videtur; nam perlegenti carmina eius unum mihi occurrit exemplum huius usus (69, 2), qui in Tibulli elegiis fere quattuor et viginti locis reperitur (cfr. Streifinger, de synt. Tib. p. 25).

E Properti carminibus collegi hos infinitivos perfecti notione praesentis usurpatos: I, 1, 15 „potuit domuisse“; II, 6, 25 „quid opus (sc. fuit) statuisse“; I, 17, 1 „potui fugisse“; III, 4, 11 „iuvet legisse“; III, 8, 3 „potuit posuisse“; IV, 13, 30 „est inseruisse“; 4, 19 sqq., „me iuvat coluisse Helicona implieuisse, me iuvat vincere et habere“.

Frequentissimus autem hic usus fuit Ovidio (cfr. Bucht, de infinitivi usu ap. Ov. comment. p. 30 sqq.), Horatio (Draeg. I. p. 256), Silio Italico, qui quinquagies infinitivum perfecti significatione praesentis posuit et duodecim infinitivis praesentis et perfecti in uno eodemque enuntiato usus est. (Cfr. Schinkel „Quaest. Silianae“ p. 41 sqq.)

Ab hoc infinitivo distinguendus est perfecti logici quod dicitur infinitivus, quem bis legimus in Properti elegiis: III, 1, 6 „in magnis et voluisse sat est“ et IV, 12, 20 „pudor est non licuisse mori“.

Similiter atque infinitivum Propertius participium quoque perfecti usurpat, ubi praesens aut gerundium praetuleris. Exemplis,

quae Hertzbergius (I. p. 120 sq.)¹⁾ attulit, addo haec: I. 6, 6 „mutato colore“, quod participium non alio modo nisi „dum mutat colorem“ explicari posse e sententia elucet; II, 4, 16; III, 5, 11; 29, 13; IV, 23, 22; V, 25, 4.

Huius absoluti, ut ita dicam, participii, quod deficiente participio praesentis passivi iam aurea litterarum aetate adhibitum est (Draeg. I. p. 793), mentionem feci, quod Draegerus e poetis nullum attulit exemplum.

Deinde annotandum est hoc loco, Proprium verbi finiti tempora saepe commutasse, sive metro coactus sive orationem ornare studens; sed cum de hac re Hertzbergius (I. p. 119 sqq.) copiosius iam disseruerit, restat mihi, ut adiungam duo, quae mihi legenti occurrerunt, exempla: I, 20, 7 sq. „sive leges — sive tinxerit — sive spatiabere“; III, 19, 34 sq. „vix venit — ni tibi nos erimus“.

Haud dubium esse iudico, quin perfectum consuetudinis, quod apud Proprium ter (I, 12, 15; 17; II, 9, 32), apud Tibullum semel invenitur, cum Vergilius et Horatius eo saepissime usi sint (Draeg. I. p. 253 sq.), imitatione quadam aoristi graeci apud poetas illius aetatis increbuerit.

Denique priusquam accedam ad ea, quae de modorum usu mihi dicenda sunt, commemoro nonnunquam tempus praesens pro perfecto positum esse IV, 13, 19 sq. „capere fertur nec erubuisse“; IV, 8, 9; 2, 43; V, 4, 54; 1, 77.

Quam ad temporum permutationem pertinet etiam v. III, 19, 34 „vix venit“, ubi praesens pro futuro adhibitum est.

Ad modorum usum quod attinet, id in primis annotatum est, Proprium in interrogationibus obliquis non solum saepe indicativum adhibere — id quod prisci scriptores latini fecerunt (cfr. Draeg. II. p. 461) — sed etiam indicativum coniunctivo permutare (Draeg. II. p. 474).

Adiungo exemplis, quae Draegerus (II, p. 474) et Wolffius (De enuntiatis interrog. ap. Cat. Tib. Prop. p. 39) exhibent, haec: I, 17, 6 „Aspice, quam saevas increpat aura minas“ (ubi codd. DV „increpet“ praebent, quod Baehrensius recepit); III, 32, 78; IV, 1, 5; V, 3, 23.

Versus III, 32, 21 „Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto“ et III, 32, 55 „aspice me, cui relicta est“ hue non refe-

¹⁾ I, 1, 19; 17, 7; IV, 11, 3; V, 3, 63.

rendi sun', quod, quin non interrogativa, sed relativa enuntiata sint, non dubitamus.

Hoc usu Propertius multum discrepat a sermone priorum atque aequalium poetarum. Nam, cum apud priscos scriptores latinos saepe aperta quadam paratactica structura indicativus positus sit (Draeg. II. p. 461), apud Lucretium (cfr. Holtze synt. Luer. lin. p. 140) nullum invenitur exemplum, apud Catullum, quem directam structuram plane evitasse falso dicit Wolffius (de enunt. interrog. ap. Cat. etc. p. 39) hoc: 62, 12 „Aspice, innuptae secum ut meditata requirunt.“ Alterum Catulli exemplum 69, 10 „admirari desine, cur fugiunt“¹⁾ magis relativum quam interrogativum praebet enuntiatum.

Tibullus semel (II, 4, 18), saepius Vergilius indicativo in enuntiatis interrogativis obliquis usus est, cum apud Ovidium me nusquam huius usus exemplum reperire meminerim. Duobus locis, quos e Vergilio attulit Draegerus (II. p. 474), addo alios: eclog. 5, 6 sq. „aspice, ut sparsit“; 8, 107; georg. 2, 107 „discere, ubi . . . incidit eurus“.

Denique Horatius ab illis legibus, quas scriptores aureae litterarum aetatis secuti sunt, non recedit. Ubi enim in carminibus eius interrogatio directa pro obliqua occurrit, oratio tam concitata est, ut poetam non hypotactica, sed paratactica usum esse structura consentaneum sit. (Cfr. exempla, quae praebet Grabenstein „De interrogationum enuntiativarum usu Horatiano“ p. 13).

Mirum est, hunc usum apud posteriorum temporum scriptores non increbuisse (cfr. Draeg. II, p. 475).

Cum coniunctivum sine „ut“ finali post verba „volendi“ et post imperativum verborum „cavere“ et „facere“ apud omnes et priscae et aureae aetatis scriptores et vinctae et pedestris orationis inveniri haud ignoremus (Draeg. II. p. 283 sq.), illud tantum mihi annotandum esse puto, Propertium etiam post verba „dicere“ et „optare“ coniunctivum sine „ut“ admisisse: III, 8, 10 „die naviget“; V, 3, 27 sq. „opto, e desiderio sit color iste meo“. ²⁾

Apud Catullum neque post „dicere“ neque post „optare“ coniunctivum inveni, semel autem post „iubere“ (32, 3 iube ad te

¹⁾ L. Muellerus optimis nixus libris manuscriptis rectissime mihi videtur retinuisse indicativum.

²⁾ Draeg. II. p. 284 affert e Plauto Stich. 624 et (p. 289) e Verg. A. 4, 24; ex Ov. trist. II, 57.

veniam), quam structuram Ovidio adamatam (Draeg. II. p. 288) Propertius omnino sprevit.

Porro poetam particulam „ne“ cum imperativo praesentis secundae personae iunxisse (III, 13, 14 „ne dubita“; III, 7, 49; 8, 7 „ne desere“) minime miramur, quod hunc usum, quem potissimum poetae comici praebent (Kuehner lat. Gr. II. § 51), etiam apud Catullum¹⁾, Tibullum²⁾, Vergilium reperimus, sed in v. II, 3, 26 „ne putas“ (pro „ne putaveris“) offendimus, quod Propertius, quamquam personam alloquitur notam, tamen contra leges sermonis latini (Draeg. I. p. 312) coniunctivo praesentis utitur.

Particulam „quamvis“ Propertius sexies decies cum coniunctivo³⁾, quater (I, 18, 13; II, 8, 27; III, 19, 22; IV, 18, 28), non sexies, ut dicit Hertzbergius (I. p. 118), cum indicativo construxit, cum Catullus et Tibullus hanc licentiam plane evitaverint⁴⁾.

Ad particulam „cum“ quod attinet, Propertium leges aureae, quae dicuntur, latinitatis secutum esse magno numero locorum demonstravit Hertzbergius (I. p. 118 sq.). Sed cum superfluum sit, omnia illa exempla hic enumerare, id tantum moneo me particulam „cum“ notione temporali fere quinquages cum indicativo, cum coniunctivo quinquies decies in elegiis Propertianis constructam invenisse.

Denique mihi annotandum est, particulam „dum“ significatione „während, solange als“ a Propertio bis cum indicativo imperfecti copulatam esse, id quod in litteris aureae quae vocatur aetatis perraro reperitur (cfr. Draeg. hist. Synt. II. p. 604).

Duo illi loci sunt: V, 10, 33 „Dumque aries pulsabat murum, Cossus ait“ et III, 6, 11 „At dum demissis supplex cervicibus ibam, Dicebar sicco vilior esse lacu“.

De vi atque usu infinitivi disputationem ita instituo, ut primum de infinitivo subiecti locum tenente, deinde de infinitivo accusativi vel remotioris eiusdem obiecti munere fungente, postremo de nominativo et accusativo cum infinitivo disseram.

Cum apud priscos poetas latinos verbum impersonale „est“

¹⁾ 67, 18; 62, 59; 61, 195.

²⁾ Streif. p. 30 novem attulit exempla.

³⁾ I, 3, 10; 8, 37; 10, 7; 19, 17; II, 3, 9; 5, 29; 7, 4; 9, 7; 9, 45; III 9, 17; 18, 8; 20, 29; 20, 33; 30, 35; 32, 75; V, 7, 49.

⁴⁾ Saepissime „quamvis“ cum indicativo ab Ovidio et Horatio constructa est. Cfr. Draeg. II, p. 770.

perraro notione „licet“ (*ξεστη*) inveniatur, hic usus apud poetas aevi Augustei incerebuit.

Exemplis¹⁾, quae Draegerus (II. p. 302) e Propertio attulit, addo haec: III, 1, 21 „non est (= licet) tangere“; IV, 13, 30 „nec digitum angusta est inseruisse via“, ubi „est“ pro „fieri potest“ positum esse eluet. Cfr. I, 20, 13; II, 7, 13 (cfr. etiam Senger, der Inf. bei Cat., Tib. u. Prop. Speier 1886 p. 34 sq.)

Haec structura, quam in prosa oratione ante Livium non inveniri falso commemorasse Draegerum demonstravit Schmidtius (de usu inf. ap. Luc., Val. Flacc., Sil. Ital. p. 13), frequens fuit Vergilio et Horatio (cfr. Krause, de Vergili usurpatione infinitivi p. 16 sq.), apud Silium Italicum autem quattuordecim reperitur locis (cfr. Schmidt, ib. p. 12 sq.), cum Ovidius eam spreverit.

Haud raro apud Propertium substantivum abstractum praeditum infinitivi est; mentione digni sunt hi loci, quos, quamquam a Draegero et Senger (p. 37 sqq.) fere omnes allati sunt, tamen hic repeto, ut eos cum aliorum poetarum similibus comparem: IV, 12, 38 „nec fuerat nudas poena videre deas; cfr. Luc. 9, 299; IV, 12, 20 „pudor est non licuisse mori“ (= turpe est); (cfr. Tib. III, 2, 7; de Ovid. cfr. Bucht „de usu inf. ap. Ov. com. p. 7; Luc. Val. Fl., Sil. It. cfr. Schmidt p. 23). — IV, 12, 27 sq. „Illis munus erat decussa Cydonia ramo et dare puniceis plena canistra rubis“; IV, 8, 9 „Gloria Lysippi est animosa effingere signa“; errat Schmidtius, qui (p. 82) hunc infinitivum obiecti instar e substantivo „gloria“ pendere censet; nam „gloria“ praedicative pro „gloriosum“ positum esse ex hoc loco appareat, quem Schmidtius in medium protulit Luc. 8, 110 „Maxima gloria nobis erit servasse pignus“. I, 10, 3 „meminisse voluptas“ (cfr. Ov. her. 12, 21; Val. Fl. bis cfr. Schmidt. p. 25.)

III, 19, 24 „ferre ego formosam nullum onus esse puto“ (etiam ap. Cic. cfr. Draeg. II. p. 363).

Mentione maxime dignus est v. III, 24, 5 sq. „Sed non tam ardoris culpa est neque crimina caeli, quam totiens sanctos non habuisse deos“; nam licet dubitare, utrum substantivum „culpa“ subiectum an praedicatum sit infinitivi „habuisse“. (cfr. Draeg. II. p. 366).

¹⁾ I, 20, 13; IV, 2, 41, ubi verbum „est“ non tam licet, quam accidit significat.

Plura mihi dicenda sunt de infinitivo obiecti instar posito.

Atque primum de infinitivis obiecti accusativi instar e verbis pendentibus disseram.

Verbum „fugere“, quod notione „nolle“ apud aureae, quae dicitur, aetatis scriptores rarissime legitur (cfr. Draeger II, p. 335; Kuehner lat. Gr. II, § 124, 1, a) inveni II, 9, 52 „fugiam subire“; (Tib. I, 4, 9).

Verba, „scire, nescire, nosse“, si sunt auxiliaria, quae vocamus, verba, omnibus temporibus cum infinitivo constructa esse constat (Draeg. II, p. 346), unde paucos affero locos ut: III, 8, 32 „ne scit abesse“; IV, 14, 44; 2, 49; III, 24, 13; 7, 30; IV, 23, 5. (cfr. etiam Schmidt de usu inf. ap. Luc. etc. p. 60).

Praetermisso verbo, „discere“, ¹⁾ quod non solum Vergilio, Ovidio posterioribusque poetis frequentissimum est, sed etiam semel in Sallustio occurrit (Draeg. II, p. 348), transeo ad verbum „doceo“, de quo Draegerum (p. 348) valde miror dicere:

„Docere hie und da seit Cicero“; verbum enim docere inde a Lucretio cum infinitivo copulatum est cfr. Luer. III, 1028 sq. „doeuit superire; V, 1100 sq.; 1141 sq.; 1302; 1451 sq. (Holtze synt. Lucr. Im. p. 128; Reichenhart, der Infin. bei Lucrez Acta Sem. Erlang. Bd. IV, p. 462); adiungo e Catulli libro 68, 118 „ferre iugum doeuit“; e Tibullo I, 2, 19; 4, 17; 59; I, 7, 33, 37; II, 1, 39; 3, 14; III, 4, 65; Propertius nobis praebet II, 6, 21 „rapere docuisti Sabinas.“

Porro etiam illud moneo, a Propertio nonnulla verba, quae in oratione pedestri coniunctiones „ut“ aut „ne“ sequi solent, cum infinitivo construi: „imperat mutare“ V, 8, 85, ²⁾ eius loci Draegerus mentionem non fecit; „mutare cavebo“ III, 9, 17 ³⁾ (Draeg. II, 334); (cfr. Cat. 50, 21, „laedere caveto“); deinde „quae scire timet“ III, 16, 50; ⁴⁾

Accedo ad infinitivum, qui consilii vocari solet. Hunc infinitivum e verbis motum aliquem exprimentibus aptum, quem actionem sive consilium agendi significare satis appetet, dativi finalis, qui dicitur, munere fungi ex ipsa infinitivi in — re cadentis natura, quem

¹⁾ Cfr. III, 19, 8; 27, 22; IV, 25, 18.

²⁾ Etiam ap. Verg., Ov., Hor. (Draeg. II, 326), Val. Fl., Lue., Sil. Ital. (Schmidt p. 55.)

³⁾ I, 10, 21, cave, ne . . . cupias.

⁴⁾ Draeg. II, p. 341 cfr. etiam Tib. I, 4, 21 „iurare time“.

nil aliud esse nisi dativum nominis verbalis inter omnes constat, facile intellegitur. Cfr. Schaeffer, die syntact. Graecis. bei d. aug. Dicht. p. 68 sq.¹⁾

Huc referendum est etiam verbum causativum „dare“, quod a Tibullo²⁾, Vergilio, Ovidio, Horatio³⁾ posterioribusque poetis ut Lucano, Valerio Flacco, Silio Italico cum infinitivo construitur (Schmidt p. 70). Properti laudo haec duo exempla: III, 15, 18 „mi fortuna semper amare dedit“ et IV, 10, 64 „cognomen habere dedit“.

Semel in Properti elegiis (I, 9, 5 „non me Chaoniae vinctant in amore columbae dicere“⁴⁾) e verbo „vincere“ infinitivus dependet, ubi ablativum gerundii exspectes; haec structura idecirco singularis et mentione digna mihi visa est, quod aliis locis, ubi „vincere“ simili notione usurpatur, deest obiectum personale; cfr. Sil. Ital. 4, 431; 7, 223; 5, 552. (Schinkel. quaest. Sil. p. 70).

Denique verbum „valere“ bis (I, 14, 7; IV, 22, 35) cum infinitivo coniunctum esse, non quod singularis aut Properti propria sit constructio, annexo, sed quod Draegerus (II, p. 301), qui ex aliis poetis multa attulit exempla huius structurae, eam in Properti elegiis inveniri non commemoravit. (Cfr. etiam Senger p. 30).

Dativorum numero arbitror esse hos infinitivos: IV, 14, 43 „parcas vexare“; I, 15, 26 „parce mouere deos“; II, 5, 18 „parce nocere tibi“ (cfr. Eurip. Or. 393 „*γείδον δ' ὀλιγάκις λέγεται κακά*“⁵⁾); I, 11, 12 „vacet audire susurros“⁶⁾; I, 20, 27 „oscula instabant carpare“ (Draeg. p. 315).

Propertium e verbo „gaudere“ infinitivum aptum esse ablativi numero positum commemoro: I, 3, 23 „gaudebam formare“; II, 1, 8 „gaudet ire“ (cfr. Draeg. II, 347).

Hunc usum, quem scriptores solutae orationis, qui aurea aetate florebant, omnino spreverunt, etiam apud Lucretium (III, 614 „relinquere gauderet“), Tibullum (cfr. Streif. p. 33), Vergilium (cfr. Krause p. 41), Horatium posterioresque videmus.

¹⁾ 1, 1, 12; 6, 33; 20, 23; III, 8, 17; V, 1, 71.

²⁾ Senger, der Inf. bei Cat. Tib. Prop. p. 4.

³⁾ Cfr. Draeger II, 367.

⁴⁾ Hunc versum attulit Draeg. II. p. 305.

⁵⁾ Cfr. Luer. 1, 667; Draeg. II. p. 335 laudat locos Catulli, Verg., Ov., Hor., Liv., Schmidt (p. 67) Luc., Val. Fl., Sil. It. Senger p. 15.

⁶⁾ Schmidt p. 95.

Interdum substantivum abstractum infinitivi praedicatum esse iam supra exemplis allatis demonstravimus; nunc venimus ad infinitivos ita aptos e substantivis, ut non subiecti locum teneant, sed genetivi gerundii numero positi sint.

Draegerum, qui (II, p. 358) dicit: „Statt des Adiectivs steht ein abstractes Substantiv als Prädicat, durch welches der Infinitiv als Subiect erklärt wird“ vehementer falli censeo, quod una eademque paragrapho (§ 431) omnia complexus est substantiva, quibus infinitivus additus est, nullo facto discriminé inter infinitivos subiecti et obiecti munere fungentes.

E Properti elegiis mihi praesto sunt haec exempla:

III, 12, 23 sq. „mihi sit audacia excipere;

V, 1, 17 „nulli cura fuit exteros quaerere divos.¹⁾

IV, 14, 4 „data libertas noscere amoris iter“,

I, 1, 28 „sit modo libertas, quae velit ira, loqui“; de hoc usu Draegerus non disputavit; cfr. Schmidt p. 83.

I, 1, 20 „labor in magicis astra piare focis“;²⁾

I, 2, 23 „studium conquerere amantes“;

substantivo „studium“ apud Val. Flaccum semel (Schmidt p. 85), apud Sil. Italicum ter infinitivus subiunctus est (cfr. Schinkel, Quaest. Sil. p. 56). De Vergilio cfr. Schaeffler p. 85.

Deinde legimus etiam apud Propertium formulam illam poetis illius aetatis adamatam „tempus est“: II, 5, 9 „nunc est discedere tempus“; III, 1, 1 „tempus lustrare aliis Helicona choreis et campum Emathio iam dare tempus equo“. cfr. Schaeffler p. 85 et Schmidt, qui (p. 86) e Silio Italico quatuor, e Lucano et Valerio Flacco singula enumeravit exempla, et Bucht (de usu inf. ap. Ov. commentatio. Upsalae 1875 p. 23), qui ex Ovidio praebet met. 14, 808.

Iam accedo ad infinitivos ex adiectivis et participiis dependentes.

Cum praeter pauca exempla, quae Draegerus (II, p. 371) collegit, apud priscos scriptores latinos infinitivi ex adiectivis apti non reperiantur, inde a temporibus Lucreti, praecipue autem Vergili et

¹⁾ Huius structurae exempla collegit Krause (de Verg. usurp. inf. p. 71) e Verg. septem, Streifinger (p. 32) e Tib. duo; Schmidt (de usu inf. ap. Luc. etc. p. 81) e Lucano tria, e Val. Flacco unum, e Sil. Italico sex.

²⁾ Substantivum „labor“ apud Lucanum bis, apud Sil. Italicum quatuor (cfr. Schmidt p. 83), apud Vergilium bis (Krause p. 12) cum infinitivo invenitur.

Horati poetae latini saepe nominibus adiectivis infinitivos remotioris cuiusdam obiecti locum tenentes addunt.

Quo de usu quamquam Küblerus (de infinitivo ap. Rom. poetas a nominibus adiectivis apto. Berol. 1861) in universum disputavit et Draegerus fere omnia, quae in Properti elegiis indagavi exempla, iam in medium protulit, tamen pauca ita disseram, ut singula adiectiva, quibus infinitivi subiuneti sunt, in ordinem digesta exponam et brevem de aetate uniuscuiusque structurae adiungam annotationem.

Genetivi numero positi esse videntur infinitivi ex hisce apti adiectivis:

1. *cupidus* I, 19, 9 „*cupidus falsis attingere gaudia palmis*“; Ovid. met. 14, 215; cfr. etiam Tib. IV, 1, 35.

2. *in opes* III, 1, 23 „*inopes laudis conscendere culmen*“.

3. *nescius* I, 16, 20 „*nescia reddere preces*“; V, 1, 76 „*nescius signa movere*“; Draegerus (II, p. 372) affert ex Horatio tria, Krause (p. 81) e Vergilio quattuor exempla, Schinkel (p. 52) e Silio quinque.

Ego addo ex Ovidio Her. 12, 49; Pont. 2, 9, 45, quorum versuum neque Draegerus (II, p. 272) neque Buchtius in commen-tatione sua (de infinitivi usu ap. Ovid.) mentionem fecit.

4. *serus* IV, 4, 35 „*serus versare boves*“; cfr. Hor. sat. I, 10, 21 „*seri studiorum*“, Sil. Ital. III, 255 „*belli serus*“.

Accusativi vicibus funguntur infinitivi e participio *doctus* apti. V, 5, 5 „*docta mollire*“; II, 3, 20 „*par Aganippeae ludere docta lyrae*“; V, 6, 24 „*vincere docta*“; (cfr. Reichenhart. Acta Sem. Erlang. Bd. IV, p. 479). Hanc structuram nobis praebet Tibullus (Senger p. 40), Ovidius (Bucht p. 22), Lucanus, Val. Flaccus, Sil. Italicus (Schmidt p. 89 et Schinkel p. 49).

Ablativi numero videntur positi esse infinitivi, qui dependent ex adiectivis:

1. *Lassus* III, 5, 12 „*lassa vocare*“; III, 7, 46 „*lassa solvere*“, 13, 26 „*talos mittere lassa manus*“, quod apud alios auctores cum infinitivo constructum non reperiri annotavit Draegerus (II, p. 376).

2. *nobilis* V, 10, 42 „*nobilis fundere gaesa*“ cfr. Draeger II, p. 376.

Restat, ut commemorem V, 5, 13 „*a u d a x imponere leges*“; apud Catullum, Tibullum, Ovidium haec structura non occurrit, sed

ap. Horatium (cfr. Draeg. II. p. 375), ap. Lucanum (cfr. Schmidt p. 87), Sil. Italicum (cfr. Schinkel p. 48).

Hanc structuram, de qua supra disputavimus, ex imitatione quadam linguae graecae et laxiore — ut ita dicam — infinitivi usu ortam esse ex eo in primis appareat, quod Horatio et poetis primi post Chr. nat. aevi¹⁾ frequentissima est. Cfr. Schaeffler p. 86.

Mentio mihi facienda est etiam infinitivi cum nominativo iuncti, quem apud Catullum quoque, Ovidium, Vergilium, Horatium, Statuum, Lucanum reperimus (Draeg. II, p. 447).

Duobus locis II, 9, 7 et IV, 5, 40 a Draegero allatis addo III, 19, 12 „denegat esse miser“; III, 10, 4 „dolere nega“.

Hoc loco etiam illud annoto, Propertium post verba „videre, audire“ similiaque fere semper accusativum cum infinitivo ponere, nonnunquam autem constructionem in uno eodemque enuntiato variare: III, 12, 11 sq. „illuc assidue tauros spectabis arantes et vitem docta ponere falce comas“.

In fine huius partis disputationis meae de singulari usu participii futuri et gerundivi pauca mihi exponenda sunt. Haec enim participia saepe loco enuntiati finalis vel relativi vel condicionalis vel causalis posita sunt id quod apud scriptores, qui ante Augusti tempora fuerunt, non reperitur.

Enuntiati finalis vicibus fungitur participium hisce locis: IV, 14, 40 „ducitur mortem habitura“; V, 4, 6 „poturas ire iubebat oves (= ut biberent)“; V, 6, 63 sq.:

„Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, iusso non moritura die“.

Quae participia si spectamus hanc constructionem e lingua graeca in latinam esse petitam monemur (cfr. Isocr. VI, 1 „παρελή-λυθα συμβουλεύσων“; Xen. Cyr. I, 3, 13 „παρασκευάζουσαι ὡς ἀπιόν“); I, 15, 41; V, 7, 47 sq.; huc referto etiam IV, 20, 4 (III, 20, 12 Hertzberg):

„Tu quoque, qui aestivos spatiösius exigis ignes, Phoebe, moraturae contrahe lucis iter“.

Hunc locum Hertzbergius (I. p. 141) ita explicat: „Iter lunae, quae nunc quidem aestivo anni tempore, si naturae legibus obseruantur, diutius sit moratura, contra has leges contrahe“.

Sed hanc explicationem longius arcessitam et perversam esse facile potest intellegi. Nam primum non de „Luna“ hoc loco agitur,

¹⁾ Apud Lucanum tricies, ap. Sil. Ital. quinquagies septies, ap. Val. Flacc. ter decies invenitur.

sed de „Sole“ (Phoebe, qui etc.), deinde participium „moraturaे“ non pro apodosi condicionali, sed loco enuntiati finalis positum esse appareat, si explicamus ita: „Contrahe (i. e. redde brevius) iter, ut lux moretur“ i. e. ne redeat dies tam celeriter. Nam si sol contrahit iter, eum tardius oriri hoc est morari plane est perspicuum.

Relativi enuntiati locum tenet participium hisce locis; II, 1. 52 „pocula non nocitura privigno“; II, 4, 10 „nupta futura“; V, 11, 35 „iungor tuo sic discessura cubili“.

Causal is sententiae munere fungitur participium I, 15, 13 „visura dolebat“ (cfr. Soph. O. C. 420 „ἀλγῶ λέγονσα“; item verba ἵδεσθαι, ἀγαπάτειν similiaque).

Condicio nalis enuntiati loco positum est participium V, 5, 61, sq:

„Vidi ego odorati victura rosaria Paesti

Saepe matutino cocta iacere Noto“.

Hertzbergius (I. p. 142) explicat: „rosaria, quae debebant vivere i. e. quae vellem victura fuisse“; sed in participio „victura“ significatio condicionalis esse mihi videtur, ita ut solvam: „rosaria, quae, nisi Notus ortus esset, victura erant“.

Simile exemplis nobis praebet V, 11, 84: „ut responsurae verba iace“ pro „verba iace mihi, quasi responderem“.

Versum I, 3, 32 „luna moraturis sedula luminibus“ recte explicavit Hertzbergius; nam participio futuri voluntatem poetæ exprimi eluet. Sed ea, quae de v. V, 7, 22 „non audituri diripuere Noti“ scripsit (I. p. 141), nimis arguta esse existimo. Contendit enim participio futuri rem interruptam et re vera non factam significari (p. 142).

Multo facilius atque simplicius puto interpretari: „Noti, qui audire noluerunt“.

Denique anno to participium futuri activi pro sententia secundaria positum apud Propertium terdecies, apud Tibullum novies (cfr. Streif. synt. Tib. p. 35) inveniri, saepissime autem apud Livium (cfr. Kühnast liv. Synt. p. 267).

Gerundivum notione participii praesentis passivi et loco enuntiati relativi adhibitum legimus V, 7, 13 „perfide nec melior sperande“; 3, 26 „plorandas notas“; 1, 74 „verba pigenda“ (cfr. Draeg. II. p. 857).

Bis participium cum coniunctione iunctum inveni I, 15, 2, „hac tamen excepta perfidia“; III, 30, 33 „quamvis corrupta“.

De particularum usu.

In peculiarem particularum usum inquirens eas omittam, quas Kuttnerus (de Properti elocutione quaest. p. 50 sqq.) accurate exposuit.

Ac primum mihi annotandum est, particulam „ac“ vel „atque“, quae apud poetas elegiacos rarissime invenitur, Propertio frequen-tissimam esse et exceptis formulis „atque utinam, atque ubi“ fere quadragies reperiri.

Deinde saepe „nec“ aut „non“ pro „neve“ aut „ne“ cum coniunctivo vel primae vel secundae vel tertiae personae ad exprimenda optata vel iussa adhibentur velut I, 1, 36 „sua quemque moretur cura neque mutet“; cfr. I, 8, 28; 9, 25; 18, 32; III, 5, 12; 11, 14; 13, 33; 26, 1; IV, 2, 42; 7, 38; 9, 10; 14, 2; 20, 19; V, 5, 3; 6, 47; 11, 89; 11, 94;

Draegerus, qui (I, p. 313 sq.) hunc usum apud poetas comicos et apud scriptores aureae quae vocatur aetatis rarissimum esse commemorat e Propertio solum vers. I, 9, 25 attulit. (De Tib. vide Streifinger p. 36).

Porro legimus: „nec — neve“ pro „neve — neve“ I, 8, 11 sq., „nec — nec“ pro „neve — neve“ III, 5, 3 sqq.; V, 5, 49 sq.; „nec — aut — aut“ IV, 2, 41 sqq; cfr. Tib. III, 6, 45 sq. „non“ pro „ne“ I, 8, 18; 15, 32 (cfr. Draeg. I. p. 312).

Aequo atque in Tibulli elegiis etiam in Properti carminibus verba vel membra enuntiati ita iuncta sunt, ut vis negationis antecedentis membra non solum particula „aut“, sed etiam particula „ve“ in alterum transferatur membrum; cfr. IV, 17, 27; 22, 35 sq.

Deinde adhibetur „neque aut — aut — ne“ pro „neque — neque“ V, 1, 103 sqq; cfr. V, 3, 63 sq. „ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris raptave lina“, ubi „ve“ pro „neve“ positum est.

Nonnunquam in secundo membro particula „que“ vel „et“ adiuncto negationem praeeuntis membra supplendam esse intellegimus; tales usum praebent hi loci: I, 4, 23 sq; 14, 20 sq; 16, 21 sq; II, 1, 21 sqq; III, 12, 9 sq; IV, 8, 39 sq; 11, 25 sq. (cfr. Lygd. 4, 89; Paneg. M. 77 sq.)

In versu III, 23, 12 legimus „neque — neque“ notione „et neque — neque“ adhibitum, quod exemplis a Draegero (II. p. 85) e Catullo allatis addo.

Semel particulam „modo“, qua nulla Propertio magis adamata est, „et“ sequitur (I, 1, 11), quod Draegerus omisit, cum Catullus et Tibullus, qui particula „modo“ raro utuntur, huius usus exemplum non exhibeant.

„et modo — et“ legimus III, 18, 11 sq; IV, 13, 15 sqq.
„modo — interdum“ III, 7, 5 sq. „que — que“ pro „et — et“, quod Tibullus, saepe adhibet (cfr. Streif. de synt. Tib. p. 37), Propertius his quattuor locis posuit: II, 1, 25; IV, 6, 66; 1, 29; V, 4, 87.

„et — que“ pro „et — et“ III, 13, 11 sq. et III, 30, 49 sq.
„non — nec“ pro „nec — nec“ I, 2, 17—19; III, 8, 11; 13, 5 sqq;
IV, 8, 37—39; 22, 27 sqq. (etiam ap. Tib. cfr. Streif. p. 37); „neque
— que“ V, 8, 43 sq. „ve — aut“ II, 1, 23; „sive — seu“ vel
„seu — sive“ pro „sive — sive“ metri causa a Propertio variari
plane eluet, cfr. II, 1, 5—11; I, 14, 9 sq.

„Sive“ a Propertio ter pro „vel si“ usurpatum esse Draegerus (II, p. 149) commemoravit; item semel (III, 22, 14) „seu“
pro „sive — sive“ legi (Draeg. II, p. 148).

„non aut — aut“ pro „neque — neque“ reperimus III, 5, 49
sq. „non aut vidisset aut diceret.“

Saepissime¹⁾ apud Propertium particula „et“ notione particulae
„etiam“ adhibetur, cuius usus, qui inde a Ciceronis temporibus apud
scriptores prosae orationis increbuit, idecirco mentionem facio, quod
Dragerus e poetis (II. p. 30 sq.) exempla non attulit.

Particulam „quare“, quam Tibullus prorsus sprevit, Catullus
autem haud raro posuit, Propertius sexies²⁾ adhibuit (cfr. M. Haupt
obs. crit. opusc. vol. I. p. 85).

Denique Propertium metri causa — ut opinor — saepissime
„non ullus“ pro „nullus“, „non unquam“ pro „nunquam“, „et nul-
lus“ pro „neque ullus“ usurpasse supervacaneum est exemplis allat-
tis demonstrare.

De praepositionum usu, de quo Hertzbergius (quaest. Prop.
p. 133 sq.) copiose disseruit, veritus, ne iam exposita retractem,
non multis disputabo, sed pauca, quae ille omisit leviter attingam.
Legimus enim praepositionem „ad“, qua haud raro rem praesentem

¹⁾ II, 5, 4; 6, 42; 9, 18; 9, 22; III, 3, 13; 7, 15; 38; 19, 8; 21, 8; 24,
34; 30, 45; IV, 14, 46; 24, 11; V, 5, 28; 8, 41; 9, 4; 11, 101 multisque
aliis locis.

²⁾ I, 5, 31; 9, 33; 19, 25; III, 8, 7; 55; 18, 9.

aut condicionem, qua quid fit, indicari rectissime monuit Hertzbergius (p. 134), non solum nonnunquam pro ablativo instrumentalis (cfr. III, 8, 21; V, 11, 2), sed etiam loco enuntiati finalis (cfr. V, 6, 32; 70) positam.

Deinde semel praepositionem „contra“ notione, „ad“ vel „in“ usurpatum repperi: I, 15, 37 „contra solem potes attollere“.

Hic mentionem facio versus IV, 8, 36: „Tota sub exiguo flumine nostra mora est“, qui nonnullos offendit. Baehrensius (III, 9, 36) sine ulla librorum manuscriptorum auctoritate pro „sub“ scripsit „sed“. At quamquam et sententia antecedens („non ego velifera tumidum mare findo carina“) particulam poscere videtur adversativam et nudum ablativum (loci) a Propertii ratione dicendi minime recedere supra vidimus (cfr. I, 11, 10 „parvola Lucrina cymba moretur aqua“), tamen praepositionem „sub“, quam praebent codices, retinendam esse cum Lachmanno¹⁾ arbitror; nam primum asyndeton adversativum in Properti elegiis haud raro occurrit (cfr. IV, 4, 47; 11, 38; V, 2, 6), deinde non locus vacuus — ut Hertzbergius (p. 135) rectissime monuit — sed margines editi i. e. ripae spectantur. (Cfr. Ov. fast. 4, 427 „valle sub umbrosa“).

Hoc loco etiam licentiores complurium coniunctionum usum leviter attingendum esse censeo.

Ac primum illud, quod neque apud Catullum neque apud Tibullum invenitur, mihi commemorandum esse existimo, Propertium, poetam concitatissimum atque vehementissimum, ab initio eleg. I, 17²⁾ particulam „et“, ab initio eleg. IV, 6 et IV, 23 „ergo“ posuisse, ut interruptis sententiis, quas in mente volverat, legentes in medias res — ut ita dicam — inducat.

Deinde videmus eleg. III, 1 a particula „sed“ incipere, unde carmen capite detruncatum esse minime concludi potest: nam ex ipsa elegia intellegimus poetam dicere voluisse: „Satis adhuc amores cecini, sed nunc est tempus etc.“.

Porro neminem fugit particulam „at“ non solum ad exprimendam antithesin vel interpellationem vel exhortationem, sed etiam ad sententiam continuandam adhiberi cfr. IV, 12, 53; V, 1, 95; 9, 63.

¹⁾ Prorsus refutanda est explicatio Lachmanni, qui dicit: „Propertium recte se „sub“ flumine morari dicere, cum pars navigii „sub“ aqua sit“. Locos autem Prop. III, 23, 13 „sedeat sub arundine remex“ et Stat. Theb. III, 407 „lavabat sub fonte comam“ ab eo non apte comparatos esse neminem fugiet.

²⁾ III, 23 sequor scripturam „at“, quam codices exhibent.

Quem usum Catullus, qui omnino particula „a t“ perraro utitur, plane videtur evitasse, cum apud Tibullum, cui coniunctio „a t“ praecipue in principio versus notione exhortativa usitatissima est, huius usurpationis exempla saepe inveniantur, cfr. I, 3, 63; 87; 7, 7; 9, 53 etc.

E Vergilio multos affert Draegerus locos hoc pertinentes II, p. 115.

Denique commemoro semel (V, 7, 29 „si piguit procedere, at iussisses) particulam „at“ in apodosi enuntiati condicionalis notione „tamen“ usurpatam esse, quae structura etiam apud Catullum, Vergilium, Ovidium singillatim occurrit. (Cfr. Draeg. II, p. 114)

Iam accedo ad tractandam verborum collocationem.

De verborum collocatione.

Hanc disputationis meae partem ita institui, ut Properti consuetudinem cum Tibulli, quem in hac re summa usum esse constat licentia, compararem.

Ac primum in universum illud moneo adiectivum fere semper uno vel compluribus distineri vocabulis a suo substantivo et in versibus, ubi duo substantiva cum adiectivis iuncta sunt, unum adiectivum altero substantivo aut solo aut cum adiectivo copulato disiungi a suo substantivo, quae collocatio multiplici modo variatur.

Itaque ad hanc rem clarius perspiciendam certas formulas ita adhibere statui, ut adiectiva attributiva vel pronomina vel participia adiectivorum munere fungentia et substantiva, ad quae illa pertinent, litteris a et s eisdem numeris 1 et 2 instructis significarem.

Qua re facta vocabulorum collocationem hisce octo schematibus exprimo:

I. a¹ a² s² s¹ velut I, 2, 2 „tenues Coa veste movere sinus“.

II. s¹ a² s² a¹ cfr. II, 9, 11 „dominum lavit maerens captiva cruentum“.

III. a¹ a² s¹ s² cfr. II, 6, 36 „Et mala desertos occupat herba deos“.

IV. a¹ s² a² s¹ cfr. III, 5, 22 „florent Phthii busta cruenta viri“.

V. s¹ a² a¹ s² cfr. III, 5, 13 „Osculaque in gelidis pones suprema libellis“.

VI. s¹ s² a² a¹ cfr. I, 1, 74 „Et vitae et morti gloria iusta meae“.

VII. s¹ s² a¹ a² cfr. III, 7, 10 „Oscula sunt labris nostra morata tuis“.

VIII. a¹ s² s¹ a² cfr. II, 4, 5 „Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces“.

Ut autem quam accuratissime Properti usum cum Tibulli conferrem, non potui, quin, quoties quaeque formularum, quas modo statui, in utroque poeta occurrat, quanta potui diligentia, enumerarem.

Ut quam brevissime rem peragam, quantum differant inter se duo poetae, hoc numerorum schemate exprimo:

Tibullus. ¹⁾	Propertius. ²⁾
form.	I. hexam. pent. hex. pent.
,	8 58 60 120
, II.	— 4 5 19
, III.	15 26 70 75
, IV.	8 30 13 57
, V.	4 5 21 25
, VI.	— 1 — 13
, VII.	1 — — 8
" VIII.	1 -- 4 5

¹⁾ cfr. Streifinger „de syntaxi Tib. p. 39“.

²⁾ ad I. in hex. I, 2, 19; 3, 33; 5, 15; 8, 19; 15, 31; 18, 21; II, 1, 33; 3, 21; 6, 15; 8, 23; 9, 48; III, 1, 25; 5, 19; 8, 47; 12, 31; 13, 21; 15, 15; 17, 15; 24, 15; 29, 9; 32, 35; IV, 2, 41; 45; 47; 3, 11; 6, 45; 55; 8, 35; 49; 9, 7; 10, 9; 51; 11, 7; 16, 14; 25, 27; 31; 17, 7; 20, 9; 21, 13; 25, 17; V, 1, 3; 15; 33; 51; 61; 91; 2, 1; 4, 25; 69; 5, 75; 6, 17; 7, 65; 85; 87; 8, 3; 25; 10, 21; 11, 8. — in pentam. I, 2, 2, 28; 3, 4; 6, 10; 9, 18; 11, 6; 12, 12; 16, 22; 17, 4; 8; 11; 17; 18, 1; 32; 19, 2; 24; II, 1, 28; 72; 2, 10; 3, 34; 6, 28; 7, 14; III, 6, 26; 8, 22; 9, 14; 11, 26; 15, 12; 18, 14; 22, 30; 24, 16; 24; 28; 25, 4; 28, 28; 38; 30, 40; 58; 31, 38; 32, 40; IV, 1, 40; 2, 32; 34; 48; 3, 6; 5, 6; 18; 7, 6; 8, 4; 25; 52; 56; 9, 14; 18; 10, 2; 12; 16; 20, 22; 52; 11, 28; 12, 52; 13, 2; 4; 12; 26; 14, 26; 15, 28; 16, 22; 28; 20, 8; 21, 2; 24, 20; V, 1, 18; 22; 92; 3, 8; 10; 20; 26; 54; 62; 72; 4, 14; 16; 40; 48; 54; 78; 5, 24; 44; 56; 72; 6, 2; 34; 54; 7, 18; 38; 62; 80; 8, 3; 18, 38; 42; 62; 9, 28; 34; 40; 64; 10, 4; 18; 28; 11, 26; 34; 72; 86.

ad II. in hex. II, 3, 13; 9, 11; IV, 8, 55; 10, 3; 21, 29; V, 5, 39. — in pentam. II, 9, 40; III, 5, 4; 16; IV, 1, 20; 7, 2; 9, 24; 14, 10; 18, 8; V, 1, 136; 140; 3, 18; 6, 42; 7, 6; 11, 18; 90; 98.

ad III. in hexam. I, 2, 7; 29; 3, 9; 25; 29; 5, 25; 6, 20; 7, 25; 8, 29; 10, 18; 11, 21; 14, 21; 16, 37; 17, 7; 19; 22, 9; II, 1, 77; 7, 15; 8, 29; III, 2, 5; 8, 31; 12, 14; 20, 1; 7; 37; 41; 21, 5; 27, 37; 28, 21; IV, 1, 51; 4, 7; 5, 17; 7, 1; 8, 51; 9, 25; 10, 45; 11, 3; 12, 5; 31; 51; 13, 1; 23; 16, 33; 22, 1; 11; 17; V, 1, 19; 23; 27; 49; 123; 3, 65; 4, 17; 63; 5, 71; 6, 71; 7, 41; 8, 5; 9; 15; 19; 23; 9, 27; 39; 41; 49; 52; 11, 31.

in pentam. I, 1, 30; 34; 3, 2; 24; 44; 5, 28; 8, 10; 12; 11, 10; 18; 12, 3; 10; 14, 2; 10; 16, 24; 34; 44; 19, 6; II, 1, 68; 5, 22; 6, 36; 9, 10; 14; III, 1, 4; 3, 8; 5, 24; 7, 44; 8, 39; 12, 30; 17, 4; 21, 2; 28, 26; 32, 30;

Deinde apud Propertium persaepe pronomen vel adverbium relativum in secundum vel tertium, interdum in quartum locum transfertur, cum apud Tibullum (exceptis Pseudotibullianis) nusquam in quartum locum removeatur.

Secundo loco legimus pronomen vel adverbium relativum: I, 6, 31; 1, 19; 15, 8; II, 9, 1; III, 3, 1; 4, 2; 8, 37; 15, 10; 17, 13; 19, 34; 31, 3; 32, 88; IV, 2, 2; 37; 4, 18; 31; 6, 66; 10, 15; 35; 29; 48; 57; 11, 14; 12, 26; 15, 3; 11; 17, 28; 21, 22; 22, 2; 23, 2; V, 1, 11; 13, 19; 3, 21; 7, 60; 79; 9, 37; 67; 10, 34; 40;

tertio loco: III, 13, 13; 30, 14; IV, 6, 42; 8, 2; 14, 36; 17, 31; 18, 11; V, 2, 36; 5, 40; 7, 81; 9, 33;

quarto loco: II, 6, 31; IV, 3, 20; 17, 1; 19, 2; semel quinto III, 27, 28.

Pronomen vel adverbium interrogativum transfertur in secundum locum: III, 17, 6; 17, 8; 31, 8; 30, 6; II, 8, 11; V, 7, 28;

in tertium: I, 16, 43; II, 6, 25; IV, 4, 30; 14, 22; in quartum: I, 5, 13; II, 7, 11; IV, 15, 19; V, 2, 24; 3, 40; 11, 56.

Iam transgressus ad particularum inversionem in primis copulativarum coniunctionum traiectionem, quam antiquioribus poetis

64; IV, 1, 4; 10; 46; 2, 8; 26; 46; 3, 8; 4, 32; 6, 48; 66; 9, 26; 11, 12; 12
18; 32; 36; 13, 24; 15, 21; 16, 18; 19, 8; V, 2, 38; 3, 24; 68; 4, 3; 20; 44;
62; 5, 14; 6, 10; 68; 7, 2; 8, 2; 50; 64; 78; 9, 30; 52; 11, 20; 30; 62.

ad IV. in hexam. I, 1, 7; 6, 23; 7, 15; II, 1, 75; III, 25, 2; IV, 6, 53; 8, 15; V, 4, 77; 5, 43; 6, 76; 7, 59; 81; 9, 25.

in pentam. I, 8, 30; 13, 24; 19, 20; II, 1, 56; 72; 4, 16; 18; 5, 12; III, 5, 22; 7, 48; 20, 30; 25, 2; 28, 20; 22; 31, 24; 31, 41; IV, 1, 18; 6, 60; 7, 4; 8, 54; 9, 20; 10, 60; 12, 6; 42; 60; 13, 6; 16; 28; 16, 24; 32, 36; 17, 10; 18, 12; 21; 20, 16; 21, 24; 32; 25, 10; 12; V, 1, 28; 42; 76; 2, 56; 3, 14; 28; 4, 2; 12; 5, 65; 70; 7, 26; 60; 9, 48; 10, 12; 26; 48; 11, 2; 64.

ad V. in hexam. I, 2, 13; 21; 21, 7; III, 5, 13; 20, 5; 30, 15; 31, 29; IV, 6, 39; 8, 41; 55; 9, 23; 10, 53; V, 1, 21; 47; 131; 2, 73; 6, 3; 7, 37; 55; 83; 8, 59.

in pentam. I, 3, 8; 26; 7, 2; 4; 12, 6; 21, 4; II, 1, 61 sq.; 76; III, 30, 21; IV, 1, 50; 8, 8; 12, 30; 34; 17, 32; V, 1, 124; 2, 14; 62; 6, 8; 7, 56; 8, 56; 10, 34; 44.

ad VI. in pentam. II, 1, 74; III, 7, 20; 13, 26; 23, 10; IV, 2, 22; 11, 22; V, 1, 96; 2, 42; 4, 66; 6, 40; 7, 64; 70; 11, 2.

ad VII. in hexam. IV, 9, 31; V, 5, 79.

in pentam. II, 1, 52; 3, 10; III, 7, 10; V, 5, 78; 10, 2; 11, 74.

ad VIII. in hexam. II, 4, 5; III, 27, 35; IV, 6, 11; 12, 9.

in pentam. I, 1, 38; IV, 1, 54; 17, 34; V, 3, 34; 7, 50.

latinis prorsus ignotam fuisse et ipsa Catulli aetate, qui plane ab ea abstinuit, primum raro apparuisse, paullo autem post apud eos poetas, qui fuerunt Augusti temporibus, creberrimam factam esse M. Hauptius, vir doctissimus, poetarum consuetudine summa diligentia investigata ostendit (cfr. opusc. vol. I, p. 115 sqq.), exemplis indagatis tractabo.

Atque incipiam a particula „et“, quae a Tibullo et Propertio licentius post unum aut complura vocabula ita collocatur, ut saepius verba artissime secum cohaerentia disiungantur.

In Tibulli carminibus (exclusis Pseudotibullianis) M. Hauptius tricies semel uni, quater duobus, semel tribus vocabulis, in Properti elegiis nonages sexies uni, quater duobus verbis postpositam invenit particulam „et“ (cfr. opusc. vol. I, p. 122 sq).

Denique illud mihi commemorandum est, Propertium nunquam copulativam particulam „et“ tribus postposuisse vocabulis, cum apud Tibullum (I, 2, 96) haec collocatio semel inveniatur.

Nonnunquam particula „que“ verbo annexitur ita ut adiectivum a suo substantivo verbo cum „que“ iuncto distineatur, cfr. III, 13, 12 „ferrat am Danaes transiliamque domum“; III, 30, 14; IV, 25, 15.

Porro interdum „nec“ coniunctio in secundum locum transfertur (cfr. I, 2, 29; 11, 16; II, 6, 8; 9, 16; IV, 8, 8; 22, 35; V, 10, 21), rarius in tertium (IV, 22, 8; V, 8, 56) aut in quartum (II, 6, 3; V, 11, 94¹).

Particulam „sed“ semel (I, 4, 11) secundo et semel (III, 19, 26) tertio loco positam inveni²).

„Aut“ in secundum transfertur locum: III, 5, 34; 30, 5; IV, 2, 45; 21, 27; 24, 10; „namque“ semel (III, 14, 12) duobus, bis (V, 1, 57; 7, 3) uni vocabulo postponitur. „At“ coniunctio V, 1, 95; 10, 23 in secundum locum traicitur.

„Ut“ finale, quod a Tibullo novies uni vocabulo postponitur, a Propertio octies (II, 4, 2; III, 4, 5; 8, 14; 17, 9; IV, 6, 54; 10, 12; V, 1, 136; 5, 15) in secundum removetur locum quater praeposito verbo.

¹) Tibullus „nec“ quinques uni, semel duobus, nunquam pluribus postposuit vocabulis.

²) Apud Tibullum ter in secundum removetur locum.

„Ut“ comparativum, quod a Tibullo semel transpositum est in secundum locum, apud Propertium in hisce versibus traiectum repperi: I, 3, 20; II, 3, 18; IV, 7, 14.

„Ut“ temporale semel (I, 20, 21) uni vocabulo postpositum est.

„Ne“ finale secundum tenet locum: V, 4, 26; 4, 57; 9, 70;¹⁾ quartum: V, 7, 73.

Magis quam collocatione harum coniunctionum inter se differunt Tibullus et Propertius traiectione particulae „si“; nam cum „si“ in illius elegiis quinquies in secundum, bis in tertium, semel in quartum remotum sit locum, in huius carminibus haec particula fere sexies decies²⁾ uni, novies duobus³⁾, bis tribus⁴⁾, semel quatuor⁵⁾ postposita est vocabulis.

„Cum“ coniunctio, quae apud Tibullum decies secundum, quater tertium, semel quartum obtinet locum, a Propertio sexies decies uni⁶⁾, quinquies duobus⁷⁾, ter quattuor⁸⁾ postponitur vocabulis.

„Ubi“ temporale in secundum transfertur locum: III, 14, 13; IV, 9, 19; 14, 32; (apud Tibullum semel secundo, semel tertio loco ponitur).

„Quoniam“ III, 8, 54; 20, 2 uni, II, 1, 55; III, 3, 7; 11; 15; V, 7, 46 duobus postponitur vocabulis

„Quod“ causale in Tibulli carminibus bis in secundum et tertium, semel in quartum, in Properti elegiis ter in tertium enuntiati locum traicitur⁹⁾.

„Dum“ secundo loco apparet V, 1, 93; 6, 14; 9, 58, tertio V, 1, 95 (ap. Tib. quinquies); quarto V, 5, 63 (ap. Tib. semel).

„Licet“ secundum obtinet locum: III, 22, 15; 28, 1; V, 11, 5; tertium III, 28, 13; quintum III, 22, 22.

¹⁾ Apud Tibullum bis.

²⁾ II, 1, 65; 3, 5; 4, 27; III, 7, 37; (quod mihi si = quod si mihi) 7, 50.
10, 5; 15, 11; 21; 28, 24; IV, 5, 35; 10, 1; 38; 14, 33; V, 5, 50; 6, 83; 8, 73;

³⁾ III, 16, 4; 20, 14; 32, 94; IV, 1, 48; 4, 40; 7, 25; 39; V, 4, 45; 5, 38.

⁴⁾ III, 19, 32; V, 7, 42.

⁵⁾ III, 15, 8.

⁶⁾ I, 3, 9; II, 3, 19; III, 6, 5; 22, 27; 27, 1; 26; 28, 18; IV, 6, 40;
8, 41; 14, 31; V, 3, 29; 3, 65; 10, 24; 11, 53; V, 1, 125; 6, 36,

⁷⁾ II, 8, 39; III, 6, 8; IV, 17, 5; 30; V, 5, 52.

⁸⁾ III, 10, 11; IV, 21, 19; V, 8, 19.

⁹⁾ V, 7, 43; 10, 46; III, 32, 22.

Ad praepositionum collocationem quod attinet apud omnes poetas plus minus licentem (cfr. Kuehner lat. Gr. § 113 f. g.), in universum commemoro Propertium similiter ac Tibullum nonnunquam praepositiones aut pronominibus aut substantivis cum adiectivis iunctis postponere, saepissime autem praepositionem a substantivo uno vel pluribus vocabulis insertis disiungere aut praecedente aut subsequente substantivo.

Cum supervacaneum esse existimem longam exemplorum seriem hic enumerare, praepositionum collocationem Propertio frequenter hisce expono versibus: V, 7, 25. „Nec crepitum fissa me propter harundine custos¹⁾.“ V, 7, 4 „Murmur ad extremae nuper humata viae²⁾.“ I, 3, 44 (querebar) „Externo longas saepe in amore moras³⁾.“ I, 5, 30, „Alter in alterius mutua flere sinu⁴⁾.“ IV, 5, 23, „Putris et in vacuo texetur aranea lecto⁵⁾.

Iam ad ea transeo, quae de periodo Propertiana paucis mihi disserenda sunt.

De periodo Propertiana.

Cum Hertzbergius (qui in quaest. Prop. p. 125 sqq.) de eis rebus, quae ad periodum spectant, hoc est de asyndeto, ellipsi, hyperbato, zeugmate explanatus atque copiosus disseruerit, hanc disputationis partem paucis absolvere potero.

Attamen nonnulla, quae ad verborum compositionem pertinent, summatim hoc loco exponam.

Ac primum illud moneo, Propertium crebro constructioni hypothactiae paratacticam praeferre et coniunctiones causales, concessivas, conclusivas, adversativas omittere, unde „asyndeton“ efficitur.

Frequentissime omnium particularum coniunctio causal is deest, potissimum eis locis, ubi sententiam enuntiatam vel exempla vel loci quos vocamus communes sequuntur. Exemplis, quae Hertzbergius (p. 125 sq). de hoc asyndeto, in lucem protulit, addo: II,

¹⁾ cfr. I, 20, 35; II, 6, 38; 8, 24; III, 32, 94; IV, 6, 57.

²⁾ cfr. II, 9, 27; IV, 10, 46; V, 7, 29.

³⁾ cfr. III, 5, 32; 6, 18; 7, 14; 8, 40; 13, 8; IV, 1, 50; 16, 9; V, 1, 27.

⁴⁾ cfr. II, 8, 5; IV, 5, 14; V, 1, 52; 8, 68.

⁵⁾ cfr. III, 6, 22; IV, 21, 1; V, 6, 30; 70.

5, 29; 6, 13; III, 1, 6; 7, 13; 11, 16; 12, 3; IV, 1, 64; 6, 72; 13, 22; 15, 10; 14; 30; 16, 3; 5; 22, 8; 24, 20; V, 11, 2; 89; 98.

Particula conclusiva abest: IV, 1, 24; 19, 10; 20, 2; V, 6, 1 aliisque locis.

Deinde etiam particula adversativa saepius omissa est: II, 6, 19; 5, 3; 6, 42; III, 18, 2; IV, 4, 47; 11, 38; 18, 2; V, 2, 6.

Porro haud raro poeta paratactica structura usus est, ubi enuntiatum condicionale (V, 5, 9; 11; IV, 2, 23; V, 2, 22; 31) aut concessivum (cfr. V, 7, 37 sq.) exspectaveris.

Si Tibullum et Propertium comparamus, etiam hac re sumمام similitudinem intercedere inter eos non negabimus. (cfr. Streifinger de synt. Tib. p. 45).

„Anacoluthon“ animadvertisimus III, 20, 39 sqq.; IV, 7, 11 sqq.; figuram „syllepsin“ II, 6, 10.

Denique frequentissima est Propertio figura ellipsis (cfr. Hertzberg. p. 123 sqq.); in primis verbum esse supplendum est: I, 2, 23; 3, 7; 9, 1; II, 3, 39; IV, 22, 40 multisque in aliis versibus. (Cfr. etiam I, 6, 10; 13, 1; III, 22, 17; 25, 7; IV, 2, 51; 4, 30; V, 6, 64; 65; 11, 79).

Denique etiam pronomina saepe requiruntur; I, 1, 23 (in acc. cum inf. cfr. Draeg. II. p. 440); I, 1, 28; 3, 30; IV, 17, 12.

His peractis paucas adiungo quaestiunculas criticas, quas in singulas disputationis partes inserere non potui.

II, 1, 30 sqq. legimus: „Aut Ptolomaei litora capta Phari aut canerem Aegyptum et Nilum, cum tractus in urbem, septem captivis debilis ibat aquis.“

Bachrensius (misc. erit. p. 83) scripsit: „Et canerem Coptum et Nilum, cum atratus in urbem etc.“ Lectionem „Coptum“ rectam esse existimo, cum codd. AN „cyptum“, codd. DV autem „cyprum“ praebant, quod Hertzbergius recepit. Sed utrum Baehrensius „atratus“ pro „attractus“ (AN) iure posuerit necne, dubito, quamquam „atratus“ etiam II, 1, 30 („Solis et atratis luxerit orbis equis“) invenitur. Evidem participium „attractus“ idecirco aptius esse opinor, quod verbo „trahere“ captivos per triumphum ductos esse melius exprimitur.

III, 20, 21 sqq. (II, 25):

„Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.

An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum saepe in portu fracta carina natat,
Aut prius infecto deposeit praemia cursu
Septima quam metam triverit ante rota“.

Cur Bachrensius haeserit in verbis „in mediis persolvit vota procellis“ eaque ridicula esse dixerit, non intellego. Nam sententia aperta est, ut nemo dubitare possit, quid voluerit poeta exprimere. Vetat enim aliquam rem ante finem bene gestam putari, haec afferrens exempla, neminem tam stultum esse, ut, priusquam procellas evitaverit, iam deis vota solvat, neque, priusquam cursum perfecerit, praemia poscat. Unde sequitur lectionem „procellis“, quam omnes exhibent libri manuscripti, non solum facile intellegi, sed etiam Baehrensi emendationem „fluentis“ a vulgata lectione nimis recedere.

Sequuntur vv. 19—34:

„Tu tamen interea, quamvis te diligit illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu:
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento:
Invidiam quod habet, non solet esse diu.“

Sententia horum versuum haec est: „Quamvis felix sis amore tuo, tamen ne gloriatus sis neve aliorum invidiam provocaveris: fortuna enim, cui invidetur, non est diurna. Unde Hertzbergium, ut codicum scripturam „semel ire memento“ fulciret, exempla inepta attulisse II, 33, 43 (III, 31) „Semper in absentes felicior aestus amantes“; II, 14, 20 (III, 6, 20) „Sic hodie veniet, si qua negavit heri“; IV, 5, 30 (V, 5, 30). „Maior dilata nocte recurrit amor“ plane eluet.

Baehrensius coniecit „semel ire negato“, quam conjecturam etiam minus aptam esse illa Lachmanni „semel ire timeto“ existimo. Nam si legimus „negato“ aut „timeto“ voculam „semel“ non solum supervacaneam, sed etiam ineptissimam esse intellegimus. Unde „semel ire“ corruptum esse Iacobus rectissime cognovisse et „simulare“ emendasse mihi videtur, quod apud Terentium, Ciceronem, Livium interdum sine obiecto notione „sich verstellen“ usurpatum occurrit.

An quisquam
Cum saepe in
Aut prius inf
Septima quan

Cur Bachrens
procellis[“] eaque rid
aperta est, ut nem
Vetat enim aliquam
rens exempla, nem
evitaverit, iam dei
fecerit, praemia pos
omnes exhibent lib
etiam Baehrensi en
recedere.

„Tu tamen in
In tacito cohil
Namque in ar
Nescio quo pa
Quamvis te pe
Invidiam quod

Sententia horu
tuo, tamen ne gloria
tuna enim, cui invic
codicum scripturam
attulisse II, 33, 43
amantes[“]; II, 14, 2
heri[“]; IV, 5, 30 (

plane elucet.

Baehrensius c
etiam minus aptam
Nam si legimus „ne
supervacaneam, sed
„semel ire“ corruptu
lare“ emendasse n
Livium interdum si
occurrit.

solvit vota
i sententia
exprimere.
haec affe
i procellas
rsum per
llis[“], quam
ellegi, sed
ione nimis


o:

sis amore
veris: for
ergium, ut
pla inepta
ior aestus
ua negavit
rrit amor[“]

onieeturam
‘ existimo.
non solum
us. Unde
et „sim u
Ciceronem,
usurpatum

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



III, 27, 35 sq:

„Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis nec iacuisse duos,
Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio“.

Cum codices optimi „voluntatis“ exhibeant, Baehrensius Italorum ingeniosam emendationem „volutantis“ iure recepit; nam verbum „volutare“ pro „se voluntare“ poni scimus neque accusativus pluralis in „is“ cadens offendit (cfr. Heymann in Prop. quaest. gram. p. 23 sq.).

Sed illud miror Baehrensiū „coniacuisse“, quod verbum illi aetati prorsus alienum est, scripsisse, quamquam „nec“ tertio loco positum etiam aliis locis invenimus; cfr. IV, 22, 28; V, 8, 56.

Itaque versum ita refingendum esse arbitror:

„Apparent non ulla toro vestigia presso
Signa voluntatis nec iacuisse duos“.

Typis J. Bucher.

